



CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ ET DECRETA CONSISTORIALIA

Quæ jurantur,

AC

FORMULA JURAMENTI

PRÆSTARI SOLITA

A S.R.E. CARDINALIBUS

DUM

Ad Cardinalatum promoventur.







URBINI, MDCCXXVIII.
Ex TYPOGRAPHIA Venerabilis Cappellæ SANCTISSIMI SACRAMENTI
Apud Antonium Fantauzzi.
PRÆSIDUM PERMISSU.








FORMULA JURAMENTI

A NOVIS CARDINALIBUS

PRÆSTANDI.



GO N. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis N. promitto, & juro, me ab hac hora deinceps, quandiu vixero, fidelem, & obedientem Beato Petro, Sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ac Sanctissimo D. N.
Papæ , ejusque Successoribus canonicè, legitimèque electis futurum; nullum consilium, aut consensum, vel auxilium adversùs Pontificiam Majestatem, aut Personam præstiturum,

consilia mihi ab eis per se, aut Nuncios, aut per literas credita, nemini unquam scientem, prudentemque in eorum damnum, vel dedecus enunciaturum: præsto item eis futurum, ut ipsi Papatum Romanum, & regalia Sancti Petri retineant, defendant, & recuperent, salvo meo ordine, adversùs omnes, honorem, & statum eorum omni studio, & totis viribus propugnaturum. Legatos, & Nuncios Sedis Apostolicæ benignè, & honorificè in terris, & locis Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum mihi commissorum directurum, & defensurum, ipsisque securum iter curaturum, ac eosdem in eundo, morando, & redeundo honorificè tractaturum, & quibuscumque contra eos aliquid conantibus, usque ad sanguinem restiturum; Jura, honores, privilegia, & auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, & Successorum prædicto-

dictorum conservare, augere, & promovere omnibus sensibus conaturum, Ubi verò contra illa aliquid præjudicii, quod à me impediri nequeat, machinando intentetur, statim atque procurari, vel tractari noverim, eidem Domino nostro, vel Successoribus prædictis, aut alteri, per quem possit ad notitiam eorum perferri, significaturum; Sanctorum Patrum Regulas, Decreta, & Ordinationes, dispensationes, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica, & Constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ Quinti de visitandis Liminibus Apostolorum, certis præscriptis temporibus, juxta illius tenorem nuper à me perlectum, observaturum, & adimpleturum, ab aliisque observari, & adimpleri procuraturum. Hæreticos, Schismaticos, & Rebelles eidem Domino nostro Papæ, vel Successoribus prædictis omni conatu persecuturum, & impugnaturum. Accersitum ab eodem Sanctissimo Domino nostro, & Successo-

ribus prædictis ex quacumque causa, ad eos profecturum, vel justo impedimento detentum, excusatorem missurum, eisque reverentiam, & obedientiam debitas exhibiturum. Possessiones ad Mensam Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum mihi commissorum, seu ad illa quomodolibet pertinentes, nequaquam venditurum, neque donaturum, neque oppigneraturum, neque de novo infeudaturum, neque aliter alienaturum, inconsulto Romano Pontifice, etiam cum consensu Capitulorum, seu Conventuum, Ecclesiarum, Monasteriorum, vel Beneficiorum eorundem: & Constitutiones Beati Pii Quinti, quæ incipit *Admonet*, sub datum Romæ quarto Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus sui anno secundo, unà cum declarationibus Romanorum Pontificum Successorum, præsertim Innocentii Papæ Noni sub datum

Ro-

Romæ pridie Nonas Novembris anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus sui anno primo, & felicis recordationis Clementis Octavi sub datum Romæ decimo sexto Kal. Martii anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Pontificatus sui anno primo, de Civitatibus, & Locis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non infeudandis, seu alienandis perpetuò observaturum; necnon perpetuò, & inviolabiliter observare promitto, atque juro, Decreta, & incorporationes facta, & factas per eundem Clementem Octavum sub diebus vigesima sexta Junii prædicti anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, die secunda Novembris millesimi quingentesimi nonagesimi septimi: decima nona Januarii, & undecima Februarii millesimi quingentesimi nonagesimi octavi, de Civitate Ferrariæ, & toto ejus Ducatu, necnon de Civitatibus, & Locis quibuscumque per obitum

bonæ

bonæ memoriæ Alphonſi ultimi Ferrariæ Ducis, ſeu aliàs ad Sanctam Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam devolutis, ab eo recuperatis. Item Decreta, & incorporationes facta, & factas per recolendæ memoriæ Urbanum Octavum ſub die duodecima Maji milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi primi, de Civitatibus Urbini, Eugubii, Callii, Foriſempronii, totoque Urbini Ducatu, necnon de Civitatibus Piſauri, Senogalliæ, Sancti Leonis, cum Statu Montis Feltrii, & Vicariatu Mondavii, aliiſque Oppidis, & Locis quibuſcumque per obitum bonæ memoriæ Franciſci Mariæ ultimi Ducis, ſeu aliàs ad Sanctam Romanam Eccleſiam, & Sedem Apoſtolicam devolutis, & recuperatis. Item Decretum, & incorporationem per felicis recordationis Alexandrum Septimum die vigeſima Decembris milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi, in Conſiſtorio factum, & factam de Ducatu Caſtri, Statuque Roncilionis, atque aliorum

Loco-

Locorum, Terrarum, seu bonorum, aliàs per Raynutium Parmensium Ducem Cameræ Apostolicæ venditorum, & Constitutionem ejusdem felicis recordationis Alexandri Septimi ratione, & occasione Decreti, & incorporationis hujusmodi, die vigesima quarta Januarii millesimi sexcentesimi sexagesimi primi publicatam, cum confirmatione, innovatione, extensione, & declaratione aliorum Decretorum, & Constitutionum per Romanos Pontifices de non infeudando editarum, & contra ipsa, & ipsas quocumque tempore, & quacumque causa, colore, titulo, vel occasione, etiam evidentis necessitatis, & utilitatis, nullo modo directè, vel indirectè venire, tractare, moliri, aut machinare, aut auxilium, seu consilium dare, & consensum præstare: quinimo cuicumque tractatui, & machinationi semper, & perpetuò dissentire, opponere, resistere, ac quascumque machinationes, & tractatus, qui ad meam no-

titiam

titiam pervenerint, per me ipſum, ſeu meum Nuncium Sanctitati Suæ, & ejus Succeſſoribus legitimè intrantibus, ſtatim revelare, tam ſub pœnis in dictis Conſtitutionibus contentis, quàm aliis quibuſcumq; gravioribus Sanctitati Suæ, & ejus Succeſſoribus prædictis bene viſis. Item Conſtitutionem prædicti Sixti Papæ Quinti de terdecies centenis millibus nummorum aureorum in Arce Sancti Angeli repoſitis; ac alteram felicis recordationis Innocentii Papæ Duodecimi moderatoriam donationum, & diſtributionis reddituum eccleſiaſticorum in Conſanguineos,vel Affines Romani Pontificis,ſub datum Romæ apud S.Mariam Majorem,anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo decimo Kalendas Julii Pontificatus ſui anno primo. Et demum literas memorati Urbani Papæ Octavi ſub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſex-

cen-

centesimo vigesimo quinto, quinto Kal. Februarii Pontificatus sui anno tertio, confirmationis Bullæ recolendæ memoriæ Gregorii Papæ Decimi quinti de electione Romani Pontificis juxta illarum tenores à me perlectos,& plenè cognitos. Item omnia, & singula, quæ per eundem Urbanum, seu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vel alios ab eo Deputatos, vel à Sanctissimo Domino nostro,aut pro tempore existente Romano Pontifice ad hoc specialiter deputandos, & præcipuè omnia, & singula Decreta à Sacra Cæremoniali Congregatione hactenus emanata, & in posterum emanatura pro sublimi ejusdem Cardinalatus honore, & dignitate conservanda, decerni, statui, & ordinari contigerit, & signanter Motum proprium ejusdem Innocentii Papæ Decimi, confirmationis Decreti ab eadem Sacra Cæremoniali Congregatione facti super æqualitate inter Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales servanda in

hono-

honorificis appellationibus, ſeu titulis eorum cuilibet attribuendis, & ſuper expunctione Coronarum, aliarumque notarum ſecularium à gentilitiis eorundem Cardinalium inſigniis, ſigillis, ſeu armis, ſub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, decimo quarto Kal. Januarii, Pontificatus ſui anno primo, juxta illius tenorem mihi plenè cognitum, me ad unguem obſervaturum, neque quidquam, quod ejuſdem Cardinalatus honori, & dignitati quovis modo, & ex quavis cauſa repugnet, aut diminuat, acturum. Juraque Annuli Cardinalitii per eundem Gregorium Decimumquintum Congregationi de Propaganda Fide conceſſa, & applicata eidem Congregationi, juxta conceſſionis, & applicationis hujuſmodi formam, & tenorem perſoluturum, & ſuper præmiſſis omnibus abſolutionem non petiturum, & oblatam nullo modo recepturum.

Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

SANCTI PII QUINTI CONSTITUTIO.

Prohibitio alienandi, & infeudandi Civitates, & loca S. R. E. vel de eorum alienationibus, & infeudationibus tractandi quovis prætextu, etiam evidentis utilitatis.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI Ad perpetuam rei memoriam.

ADMONET nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, cui auctore Domino præsidemus, ut Civitates, Terræ, Oppida, & Loca nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediatè, & immediatè subjecta perpetuò, in jure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conserventur.

Sanè licèt nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri per eorum Constitutiones, rerum Ecclesiasticarum alienationes prohibuerint, & jam factas revocaverint, & annullaverint; nihilominus cùm retroactis temporibus nonnulli nimiùm ambitiosi, & dominandi cupidi sub variis prætextibus, coloribus, & causis, sæpe etiam falsis (quod non sinè maximo animi nostri mœrore referimus) aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus suis conati sint ostendere, & persuadere magis utile, & expediens S. R. E. & Sedi præfatæ fore, si aliquæ Civitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & Loca ad jus, & proprietatem ejusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, vicariatum, ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo quod aliàs in feudum data, aut quovis alio titulo hujusmodi alienata fuerint, & propterea tamquam ad Sedem prædictam devoluta, vel devolvenda posse, & debere de jure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solùm patrimonii, sed etiam æstimationis recepisse dignoscitur.

Hinc est quòd nos considerantes omnium Civitatum, & locorum prædictorum singularem fidem,

& promptam devotionem eidem Sedi exhibitam, omni tempore valde utilem, & salutarem fuisse, & esse; ac volentes non solùm alienationes hujusmodi (quas tempore nostro omnino exulare intendimus) de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini nostri Jesu Christi in examine diei magni adventus Tribunal, villicationis nostræ rationem reddituros nos esse, sed ut omnis alienationum hujusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per amplius providere, Constitutionibus Prædecessorum nostrorum hujusmodi etiam inhærendo, illasque innovando, motu proprio, & ex certa nostra scientia, non ad alicujus super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, habita etiam super his cum venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto consultatione matura, de eorum consilio, & unanimi assensu (qui etiam juraverunt præsenti Constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à juramento hujusmodi non petere, nec acceptare) hac nostra perpetuò valitura Constitutione decernimus, & declaramus Civitates, & loca prædicta etiam hactenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum

dari ſolita, vel conſueta, ad nos, & Sedem præfatam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda, abſque alia ulteriori declaratione, & illorum poſſeſſionis apprehenſione eo ipſo Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ incorporata, ac ad jus, & proprietatem, & dominium priſtinum, ad poſſeſſionem rediiſſe cenſeri, perinde ac ſi per quadraginta annos, & ultra Civitates, & loca præfata, à nobis, & Sede præfata immediatè poſſeſſa, & nunquam in feudum, aut alium titulum conceſſa fuiſſent.

Statuimuſque, & decernimus, quod omnes, & ſingulæ tam Communitates, & Univerſitates, quàm Cives, & incolæ Civitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliæque quæcumque perſonæ tam Eccleſiaſticæ, quàm Seculares, cujuſvis dignitatis, & ordinis etiam Epiſcopalis, vel majoris exiſtentes, ac S. R. E. Cardinales, tam publicè in Conſiliis Civitatum, & locorum præfatorum, quàm privatim alibi in quibuſvis locis, etiam Civitatum, & Terrarum earundem Gubernatores, aut & Sedis Apoſtolicæ Legati, vel Pro-Legati exiſtant, tractantes, conſulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Civitatibus, & locis præfatis immediatè ad nos, & præfatam Sedem ſpectantibus, & pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter, & pluries dari ſolitis, etiam ex cauſa permutationis, vel ſub annuo cenſu, aut canone, aut aliàs quomodolibet, etiam

con-

contemplatione meritorum erga Sedem præfatam, aut ſub prætextu neceſſitatis, vel evidentia utilitatis, faciendis, ſeu de poſtulandis à nobis, & Sede præfata quibuſvis perſonis cujuſvis dignitatis, gradus, ſtatus, etiam nobis, & Succeſſoribus noſtris ſecundùm carnem conjunctis, etiam S. R. E. Cardinalibus, aut quavis alia temporali, vel Eccleſiaſtica Dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, ſeu quemvis alium titulum, ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, aut etiam Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, Civitatum, & locorum præfatorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad nos, & Succeſſores noſtros ſuper præmiſſis, vel illorum occaſione mittendis proponentes, tam ipſi, quàm Oratores munus hujuſmodi recipientes, aut alii quicunque alienationes hujuſmodi Romano Pontifici pro tempore exiſtenti per ſe, vel alium, ſeu alios inſinuantes, vel ſuadentes, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua niſi ab ipſo Pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi nequeant. Et inſuper S. R. E., & Sedis Apoſtolicæ præfatæ rebelles, etiam in primo capite læſæ Majeſtatis, & proditores Civitatum, & locorum præfatorum, ac bona eorum Fiſco, & Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſo jure devoluta, & incorporata ſint, & eſſe cenſeantur, omnibuſque Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis beneficiis Eccleſiaſticis eo ipſo privati exiſtant,

neque

neque ad Civitates, & loca præfata ullo unquam tempore remitti possint. Etsi aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames remaneant, illisque bonorum, & dignitatum Portæ perpetuò claudantur.

Et quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Civitates, Terras, Oppida, Castra, Arces, & loca ad vitam, seu tertiam, vel aliam generationem, aut aliàs à dicta Sede etiam ex causa onerosa, obtinere, habere, & possidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quòd ab eis amoveri non possint, nisi restitutis priùs pecuniis in melioramenta hujusmodi expositis, omnes, & singulas facultates faciendi melioramenta præfata quibusvis Personis, etiam Cardinalibus per eosdem Prædecessores nostros, aut alios ad id facultatem habentes, quomodolibet concessas harum serie revocamus, & annullamus, & nemini deinceps suffragari posse, neque debere, ac cuicunque facultatem facienda melioramenta hujusmodi habenti, illa etiam pro munitione, & tuitione, nisi ex causa conservationis locorum eorundem facta fuerint, post publicationem præsentium facere omnino interdicimus, ac prohibemus, etsi secus à quoquam factum, attentatumque fuerit, melioramenta quæcunque per eos contra tenorem præsentium facta locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minimè teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus.

Decer.

Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, caſſationibus, derogationibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe, & cenſeri debere.

Irritum quoque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Civitatum, & locorum prædictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Sic igitur devotionis, & fidei conſtantia Civitatum, & locorum præfatorum erga nos, & Succeſſores noſtros, & eandem Romanam Eccleſiam perſeveret, ut meritò integritatis virtus majora beneficia ab eadem Sede conſequi mereatur.

Volumus autem, quod ſicut omnes, & ſinguli Cardinales præſentes Conſtitutionem hujuſmodi, quantum in eis erit, obſervare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à juramento præſtito non

pete-

petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio secreto nostro promiserunt, & jurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio, in habitatione eorum, & à Romana Curia, ut quandocunque ad eandem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in assumptione Pilei promitti, & jurari debeat, ac promissionem, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti, adjungi, & inseri debere, ac contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ juris, & facti, eo ipso incurrere decernimus. Præterea quòd ipsi Cardinales, occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclavi quando de observandis literis Julii Papæ Secundi Prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis Constitutionibus juramentum præstare solent, etiam de inviolabiliter observanda præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem, hoc ipsum promittere, & deinde post coronationem suam, promissionem, & juramentum hujusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat. Quod si illud à Pontifice (quod credendum non est) recusabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum omni cum

instan-

instantia, & instantissimè pro præsentium observatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat, diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus.

Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædictas Julii literas, quæ in dicto Conclavi legi solent, inter alias Constitutiones nostras adjungantur, & etiam in quinternio Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extravagantibus nostris describantur, ac ad valvas Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac acie Campi Floræ publicentur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorsus fides ubique, in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, revocationis, Statuti, Decreti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum anno In-

carnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo quarto Kalend. April. Pontificatus nostri anno secundo.

Ego PIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego F. Card. Pisanus Episcopus Ostien.
Ego Jo. Card. Moronus Episcopus Portuensis.
Ego Christophorus Card. Madrucius Episcopus Prænest.
Ego A. Card. Farnesius Episcopus Tuscul. Vice-Canc.
Ego Jo. Mi. Card. Saracenus.
Ego Ful. Card. Perus.
Jo. Card. Politianus.
Jo. Bapt. Cicada Card. S. Clementis.
B. Card. Tranen.
Scipio Card. Pisarum.
Jo. Card. Capisuccus.
Ego Clemens Card. Aræcæli.
Ego Ja. Card. Sabellus.
Ego Jo. Ant. Card. S. Georgii.
Aloysius Card. Cornelius.
Bern. Card. Salviatus.
Ego Phi. Card. à Burdesia.
Ego Lud. Card. Simoneta.
Ego Ant. Card. Granuelanus.
Ego F. Card. Paciecco.
Ego Marcus Antonius Card. Amulius.
Ego Hieronymus Card. de Corrigio.

Ego

Ego Jo. Franciſcus Card. de Gambara.
Ego N. Card. de Sermoneta.
Ego Hipp. Card. Ferrarien.
Ego Innicus Avalus Card. Arag.
Ego Marcus Antonius Card. Columna.
Ego Jo. Franciſcus Card. Commendonus.
Ego Marcus Antonius Card. Bobba.
Ego Hugo Boncompagnus Card. S. Sixti.
Ego Alexander Card. Sfortia.
Ego Alexander Card. Cribellus.
Ego Franc. Abundius Card. Caſtilion.
Ego Bened. Card. Lomellinus.
Ego Gulielmus Card. Sirletus.
Ego F. M. Card. Alexandrinus.
Ego Vitellotius Card. Vitellius S. R. E. Cam.
Ego Franciſcus Card. Alciatus.

SIXTI QUINTI CONSTITUTIO

De Visitandis certis hic statutis Temporibus, Sanctorum Petri, & Pauli de Urbe Liminibus &c. ab Episcopis, Patriarchis, & aliis Ecclesiarum Primatibus.

SIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ROMANUS Pontifex, Beatissimi Petri Apostolorum Principis Successor, in altissima militantis Ecclesiæ specula, divina dispositione collocatus, ex credito sibi Apostolicæ servitutis officio omnium Ecclesiarum solicitudinem habere, totiusque Dominici Gregis, qui

unius

unius Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ per universum Orbem terrarum diffusæ, sacro ovili concluditur, curam gerere tenetur. Hujus verò tam gravis, & ingentis oneris, Angelicis plenè humeris formidandi, magnitudinem ut faciliùs ferre posset, Venerabiles Fratres suos Catholicos Episcopos in partem suæ solicitudinis advocavit, qui tamquam Seniores in populo Dei, pleni sapientiæ spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi Pastoris in terris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum, ut Episcoporum opere, & adjumento, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, & spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque adhiberet; atque ex sui muneris officio, perdita requireret, abjecta reduceret, confracta alligaret, infirma consolidaret, pinguia, & fortia custodiret: denique assiduis Pastorum vocibus admonitus, de toto Ecclesiarum singularum statu certior redderetur, nec quisquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei Gloriam augendam, ad Christianam Religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessariò eundem scire, atque intelligere oportet, ut omnibus cognitis, & examinatis, pro ea, quæ sibi à Christo Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia ædificet, alia destruat, quemadmodum ex

rerum,

rerum, & temporum conditione ſalubriùs in Domino viderit expedire.

Ob quas ſanè cauſas jure optimo, & Spiritus Sancti inſtinctu, à Sanctiſſimis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris jam ab antiquiſſimis temporibus inſtitutum eſt, & per multas ætates magno Eccleſiæ Dei commodo obſervatum, ut ſinguli Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & Patriarchæ, cæteris præſcriptis temporibus, per ſe ipſos, vel per certum eorum Nuncium, omni occaſione ſepoſita, Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui hanc Almam Urbem ſuo ſanguine conſecrarunt, Limina, tanquam fidei petram, & totius Sacerdotalis unitatis fontem jurejurando ſe viſitaturos pollicerentur, atque ita S. R. E. Matris ſuæ complexu recreati, & paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad Eccleſias ſuas regendas, alacriores, & inſtructiores redirent.

Cæterùm hæc tam ſalutaris, atque neceſſaria Conſtitutio, partim hominum negligentia, partim antiqui humani generis hoſtis aſtutia, variis etiam inſurgentibus temporum calamitatibus, valde refriguit, aliis alia, atque alia impedimenta prætexentibus, in grave animarum ſuarum periculum, & quibus præſunt, Eccleſiarum detrimentum. Nec verò dubitandum eſt, quod ſine maximo animi mœrore commemorare non poſſumus, perniciosiſſimas hæreſes, quibus multis jam annis, hominum peccatis

ita

ita promerentibus, Ecclesia vexatur, & Christi Domini vestis dilaceratur, ex hujusmodi saluberrimæ visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio, ab ipsis Episcopis pro rei gravitate ad Romanum Pontificem relatum esset, sanè illius providentia, & auctoritate, statim venenatæ stirpes ex agro Domini evulsæ essent, & Diabolici ignis scintillæ subitò oppressæ, atque restinctæ, in tot flammas, & luctuosa incendia non erupissent.

Hæc, atque alia gravissima incommoda, cùm primùm ad Summi Apostolatus apicem, meritis licèt imparibus, Deo ita volente, vocati sumus, attentiùs considerantes, non solùm ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio, Divina gratia adjutrice, cogitare cœpimus. Urget enim nos Dei timor, & acres animo nostro stimulos, dies, noctesque subjicit, quemadmodum in tremendo illius judicio, administrationis nostræ rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cùm crebrò in mentem veniant, & quasi aures nostras personent sacræ illæ voces comminationis, & terroris plenæ: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, & sanguinem ejus de manibus tuis requiram.* Et quod Petro à Domino dictum est: *Confirma*

Fra-

Fratres tuos. Et illud Apoſtoli Pauli, quod tantò magis ad nos pertinet, quantò majorem præter cæteros, Paſtoralis Officii curam ſortiti ſumus: *Attendite vobis, & Univerſo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Quocirca eorundem Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſimulque modum, & temporum ſpatia Eccleſiarum earundem Præſulibus, pro cujuſque intervallo, & locorum diſtantia moderantes, hac perpetua Conſtitutione ſancimus, decernimus, & mandamus, ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi per univerſum terrarum orbem conſtituti, à nobis deinceps ordinandi, etiamſi Cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus conſecrationis ſuſcipiant, ſeu eis conſecratis Pallium de Beati Petri corpore ſumptum tradatur, aut ſi ad aliam Eccleſiam transferantur, antequam illius regimini, & adminiſtrationi ſe immiſceant, ſiquidem præſentes in Curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, ſi verò abſentes, in manibus Antiſtitis, qui ad impendendum munus prædictum, aut ad tradendum Pallium hujuſmodi à Sede Apoſtolica delegabitur, juret juxta formulam in libro Cancellariæ Apoſtolicæ *Quinterno* appellato, nuper deſcriptam, ſe Beatiſſimorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Limina, ſtatutis in hac noſtra Conſtitutione temporibus, perſonaliter, ac per ſe ipſos viſitaturos,

ros, ac nobis, & Successoribus nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum Pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum Statum, ad Cleri, & Populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica humiliter recepturos, & quàm diligentissimè executuros.

Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent se prædicta omnia adimpleturos per certum Nuncium ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum Capitulorum, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu aliàs Personatum habentem, aut si hujusmodi hominem Ecclesiastica dignitate, & Personatu præditum non habeant, per diœcesanum Sacerdotem, & si Clero careant, omnino per aliquem alium Presbyterum secularem, vel regularem spectatæ probitatis, & religionis, de supradictis omnibus plenè instructum. De hujusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem, per supradictum Nuncium transmittendas.

Quin etiam Principes temporales, si quid pro eorum pietate, & erga hanc Apostolicam Sedem observantia Romano Pontifici voluerint significare, eosdem, sive Episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt Nuncios, ac Relatores,

quorum opera, ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus, & rebus firmandis, ac ſtabiliendis, & cum Dei, & ſanctæ Religionis cauſa, ſine qua tutò conſiſtere haud poſſunt, conjungendis, opportuna ſinceræ charitatis officia, conſilia, atque ſubſidia expectare certò poterunt.

Ad hoc autem debitum viſitationis officium commodè explendum ſupradicti Patriarchæ omnes, Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, Itali videlicet, vel ex Italicis Inſulis, unde in Italiam commodiùs trajici poteſt, veluti Siculi, Sardi, Corſi, & alii adjacentium Provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ, & Græcarum, quæ è regione ipſis Italiæ, & Siciliæ oris ſunt, tertio anno: Germani verò, Galli, Hiſpani, Belgæ, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes, qui in Europa ſunt citra mare Germanicum, & Balticum, ac omnium Inſularum maris Mediterranei, quarto anno; & qui intrà Europæ fines ſunt, his Provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus noſtris adverſi, ac Inſularum maris Oceani Septentrionalis, & Occidentalis Europæ, & Africæ citra continentem novi Orbis, tam qui nunc ſunt, quàm qui ad Catholicam Fidem per miſericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno; Aſiatici verò, & qui extra Aſiam, & in aliis novis Terris Orientalibus, Meridionalibus, Occidentalibus, & Septentrionalibus tam in Inſulis, quàm in continentibus; denique

in

in quibuslibet Mundi partibus decimo anno iter suscipiant, & Deo concedente perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto, & decimo anno repetant, & observent. Hæc autem annorum spatia tempore suscepti muneris, consecrationis, vel Pallii traditionis, aut translationis, ut præfertur, incipiant. Quæ ne longiùs differatur, volumus, quod tempus qualecunque excursum alicui ex supradictis Præsulibus, qui sive morte præventus, sive alia quacunque de causa ob non finitum tempus ei præscriptum, dicta Limina non visitaverit, ita illius Successori effluxisse, & excurrisse intelligatur, ut termino ipso juxta Prædecessoris sui jusjurandum completo, debitam tunc visitationem conficere teneatur.

Hi verò ex supradictis Antistitibus, qui hactenus ab hac Sancta Sede ordinati sunt, aut dictum Pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam Ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum, & temporum intervalla præscripta sunt, ad supradicta omnia observanda à die publicationis præsentis constitutionis omnino teneantur. Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus Antistitibus præsentibus, & futuris, ut visitationem prædictam, sibi, suisque Ecclesiis adeo utilem, ac necessariam, juxta præscriptam formulam omnino conficiant.

Si verò, quod absit, non egerint, eos ab in-

gressu Ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quàm temporalium, necnon à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, à Capitulis eorum omni exceptione, & mora cessante, interim liberè exigendorum, & in opus Fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tam diu suspensos esse volumus, donec à contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi à Sede prædicta meruerint obtinere.

Non obstantibus Privilegiis, absolutionibus, Indulgentiis, & aliis concessionibus de non visitandis Liminibus ejusmodi quibuscunque Ecclesiarum Prælatis, & per quoscunque Romanos Pontifices, ac etiam nos, & dictam Sedem ex quibusvis causis perpetuò, vel ad tempus concessis, extensis, & innovatis, quæ omnia contra præmissa quicquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscunque. Cæterùm nos saluti, & conscientiæ securitati eorum Præsulum, qui ad hujusmodi visitationem obligati, eam contra jusjurandum huc usque distulerunt, consulere volentes, eos singulos à perjurii reatu, & à Canonicis, Apostolicisque omnibus sententiis, quas propterea incurrerunt, auctoritate præsentium absolvimus, quos tamen pro excessu hujusmodi eleemosynam, quantam, & cui, vel quibus eorum Confessarius statuerit applicandam, volumus erogare.

Quia

Quia verò difficile nimis esset præsentes literas quocunque illi opus perferri; volumus quoque, ut earum exemplis etiam impressis, manu Notarii publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quæ eisdem præsentibus, etiam in dicto Quinterno describendis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, decimo tertio Kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno primo.

CON-

CONSTITUTIO SIXTI QUINTI

De decies centenis millibus nummûm aureorum, in Arce Sancti Angeli sepositis, & nullo unquam tempore, nisi in præscriptis casibus detrahendis.

SIXTUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

AD clavum Apostolicæ servitutis in puppi militantis Ecclesiæ, non meritis nostris, sed divinæ voluntatis dispositione, difficillimis his temporibus constituti, non solùm præsentes fluctus, quibus Beati Petri Navicula sæpius jactatur, mente pervigili circumspicimus, sed pro-

procul etiam, atque à longè impendentes tempestates, non sine magna animi solicitudine prospicimus, easque consilio, & vigilantia, quantum cum Domino possumus, præcavere, ac vitare studemus. Circumstant nos undique multorum generum pericula, mala intestina quotidie magis ingravescunt, bello ardent Provinciæ, Hæretici implacabili odio inflammati in nos rapiuntur, hostis teterrimus, & potentissimus Turca, alter Assur virga furoris Domini cervicibus nostris semper imminet, quique communes sunt Catholicæ Religionis, & Christiani nominis inimici, iidem Romanam in primis Ecclesiam, & Apostolicam hanc Sedem fidei petram, & Fidelium omnium Matrem acerbissimè oderunt, ejusque auctoritatem, amplitudinem, statum convellere, quod Deus avertat, ac labefactare, vehementer atque avidè concupiscunt. Et nos quidem dubios rerum eventus, & occulta discrimina, quæ non sine causa timere cogimur, sæpenumero expendentes, non in nobis ipsis spem collocamus, neque carnem ponimus brachium nostrum, sed oculos in Cœlum sustollimus ad Custodem Israel, eumque ipsum, qui nunquam dormit, neque dormitat, sæpè cum lacrymis excitamus, ut aliquando è somno exurgens mari, & ventis imperet, & tranquillitatem faciat. Sed tamen ab eodem, in quo spes omnes nostræ resident, edocti sumus noctu vigilandum esse Patrisfamilias, ne fures domum perfodiant, servumque supra ejus

Fami-

Familiam constitutum, non solùm fidelem esse debere, sed prudentem, nec temerè tentandum Dominum, ut in iis, quæ consiliis nostris, & ratione gubernari possunt, non tam divinam opem, quæ semper expetenda est, quàm miracula requirere videamur. Quare ad humanæ prudentiæ subsidia ita confugimus, ut in Deo potissimùm speremus, ad cujus gloriam, atque ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ utilitatem, populorumque nostrorum quietem, & defensionem omnia dirigimus. Nam cùm illius vicem in terris, licèt immeriti, geramus, qui Rex pacificus, & Sacerdos est in æternum, utraque potestate Sacerdotali, & Regali eorum præcipuè commodis, & incolumitati consulere debemus, qui sub peculiari tutela, & ditione hujus sanctæ Sedis sunt constituti, in quo quidem Pastoris etiam officium exercemus, ut præclarè nos admonet Beatissimus Pontifex Gregorius, à quo Pastores objurgantur, qui de externa Gregis utilitate non sunt soliciti. *Pastores*, inquit, *sic erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant.*

Quod igitur à nobis Pastoralis Providentiæ debitum requirit providere cupientes, ne aliquando repentina aliqua, & improvisa vi, quod superiorum temporum luctuosa monent exempla, Nos, Successoresve nostri, & populi nobis subjecti opprimantur, neve ad dubios casus, à pecunia omnino imparati

simus,

ſimus, quæ in ipſo motu, & trepidatione difficulter admodum, non ſine magno Civitatum, & Provinciarum incommodo conficitur, quibus parcere cupimus, & quod gravius eſt, jam ſera, & inopportuna diligentia ſæpius fruſtra, & inutiliter conficitur, quæque ſi in tempore curata, & præparata ſit, ad copias, aliaque Præſidia comparanda, magno uſui, & adjumento eſſe poteſt. Ob eas cauſas decrevimus certam pecuniæ ſummam, benedicente Domino, nullo noſtrorum extraordinario onere congeſtam, ſed præter alias rectæ colligendæ pecuniæ vias, noſtra etiam parſimonia, frugalitateque Pontificia comparatam, hoc eſt ad decies centena millia aureorum nummûm ſeponere, tanquam ſacrum Eccleſiæ Romanæ Peculium, & præcipuum ærarium, quod bonorum immobilium inſtar ſit, atque ad certos caſus hac noſtra ordinatione præſcriptos erogandum, fideliter, integrèque reſervatum, ac præclarè paratum ipſâ Sedes Apoſtolica, Eccleſiaque Romana habeat. Etenim inter omnia præſidia, & firmamenta, quæ ad Reipublicæ defenſionem, & conſervationem neceſſaria Sapientum judicio putantur, magnam ſapientiſſimus Salomon vim, & facultatem pecuniæ tribuit verbis illis: *Utilior eſt Sapientia cum divitiis, & magis prodeſt, ſicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*. Quod ſanè divino conſilio à veteris teſtamenti Patribus factum eſſe animadvertimus, cùm in Dei etiam templo,

magnam auri, argentique copiam, ingentemque thesaurum ad necessitates reservatum esse, sacris libris & Regum, & Machabæorum testatum sit: *Habuit etiam Christus Dominus loculos, & quæ à Fidelibus oblata erant, reservavit, ut Ecclesiæ necessitatibus subveniret, sicque formam instituit Ecclesiasticæ pecuniæ servandæ*, inquit Sanctus Augustinus. *Habet etiam Ecclesia aurum*, ait Beatus Ambrosius, *ut cùm necesse est, illud tunc non servet, sed servatum eroget*; & ex eo tempore, quo prima Christianæ Religionis facta fuerunt fundamenta, Sanctus Sixtus Prædecessor noster, & Martyr, levitæ Laurentio, qui martyrio insignis fuit, Ecclesiæ thesauros tradiderat asservandos; quos idem Christi Athleta fortissimus, ex manibus Tyranni, qui præter Christianorum innocentem sanguinem & aurum Ecclesiæ sitiebat, in pauperes celeriter distribuendo eripuit.

His itaque rationibus, & causis, aliisque ad Dei gloriam, atque Ecclesiæ utilitatem spectantibus nos adducti, & ex certa nostra scientia, habita super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in Consistorio nostro secreto matura consultatione de eorum consilio, & unanimi assensu, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, atque ordinatione, supradictam à nobis simul congestam pecuniæ summam in Pontificia sancti Angeli Arce, certo sanctiori ærarii loco,

quem

quem eo nomine constituimus, in quibusdam certis designatis scriniis, collocamus, reponimus, asservamus, atque assignamus, eamque ita collocatam, & asservatam, Christo Domino, cujus in terris vices gerimus, Beatissimæ Virgini Dei Genitrici Mariæ, ac Sanctis Apostolis Petro, & Paulo ea lege offerimus, atque dicamus, ut inde, ne nobis quidem eam neque totam, nec verò partem aliquam etiam minimam promi unquam liceat, præterquam si pro recuperatione Terræ Sanctæ, & generali contra Turcas expeditione bellum aliquando suscipiendum erit. Tuncque etiam postquam Christianus exercitus comparatus erit, ac mare ad ipsorum Turcarum fines trajecerit. Si præterea tanta annonæ, & rei frumentariæ inopia sit, ut fames Populo interitum allatura videatur, aut si pestilentiæ lues grassetur. Si manifestum periculum immineat, ne aliqua ex Christianis Provinciis ab infidelibus, & Catholicæ Ecclesiæ hostibus occupetur; tuncque subsidii tantùm ferendi causa. Si bellum contra statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Italia inferretur, tuncque dumtaxat, cùm justus, & integer exercitus in ipsos etiam Ecclesiasticæ ditionis fines pervaserit, vel prope jam sit, ut qui loca finitima invaserunt, ad occupandum Civitates, & loca ditionis Ecclesiasticæ irrumpant. Si belli sumptus faciendus erit pro Civitatis, quæ temporali ditioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecta, ab ipsius

D 2 obe-

obedientia (quod Deus avertat) defecerit, recuperatione, & conservatione, aut pro Civitate, ac ditione, quæ ad Sedem Apostolicam devolveretur, recuperanda, & conservanda. Si quando quis in eam se intruderet, seu occuparet, aut occupationis, & intrusionis periculum instaret, atque urgeret. In his autem omnibus casibus præscriptis, ac permissis, in quibus aliqua pecuniæ portio semel, aut sæpius sumi licebit, id semper moderatè fiat, eaque cautio, ratioque adhibeatur, ut omnino saltem integra medietas constitutæ hujus ærarii pecuniæ remaneat. Præterea consensum duarum saltem ex tribus partibus Cardinalium, qui Consistorio interfuerint, præstari, decretumque ipsum eorundem Cardinalium consentientium subscriptione roborari volumus.

Extra hos autem præscriptos casus, omnem hujus pecuniæ Deo, ut supra, dicatæ, vel omnino, vel aliqua ex parte amovendæ, aut erogandæ potestatem à nobis prorsus abdicamus, abdicatamque planè esse volumus. Statuentes, quemadmodum supradictum est, ut instar bonorum immobilium Ecclesiæ sit, & habeatur, eandemque sic asservatam, & repositam, ac Deo dicatam, nos integram conservaturos esse, ac perinde omnino atque res, & bona Ecclesiæ immobilia nos habituros esse promittimus, juramus, & vovemus. Cujus rei servandæ vinculo, sicut nos adstringimus, ita nostri Successo-

res

res etiam se eodem devinctos esse norint. Tum boni publici causa, quod summo studio procurare debent, tum Pontificalis muneris religione, qua obstrictos non modò non rescindere, sed inviolatè observare oportet, quæ à Prædecessoribus nostris, sanctèque constituta esse vident. Tum denique divinæ Justitiæ Lege, ex qua intelligant se, prout divinæ literæ, exemplaque significant, ac Patrum documenta declarant, gravissimas pœnas daturos esse, si rem Deo dicatam, aliter, ac præscriptum est, dispensarint.

Cujus rei non minùs insigne, quàm tremendum exemplum in Machabæorum historia traditum est de impio, atque audaci Heliodoro, qui cùm pecuniam à sacro Templi Dei ærario auferre moliretur, armato quodam equite, aspectu terribili subitò divinitus apparente, equi calcibus impetitus, à duobus quoque Juvenibus, Dei item jussu, apparentibus, flagellis verberatus, ac plagis gravissimis affectus est: At verò nos religiosa eorum conscientia, Pontificiaque charitate confisi, non modò non dubitamus, sed planè speramus fore, ut ærarium hoc nostrum, quod nostra solicitudine partum, ac Deo dicatum ad necessarios præscriptos casus reservavimus, ita diligentissimè reservent, ut nos maximè facturos esse professi sumus, ac profitemur.

Si verò alii casus aliquando inciderint, qui etiam majorem ex ærario promendæ pecuniæ ratio-

nem haberent, nolumus tamen, quod de his certis casibus constituimus, & præscripsimus, ullo unquam tempore, nec etiam dum Sedes Apostolica per obitum Romani Pontificis vacaverit, ad illos, qui majoris rationis vim habere viderentur, extensionem fieri, aut ullo modo de illis interpretari licere. Sed nostram hanc ordinationem, constitutionemve ad literam intelligi debere decernimus. Nam Successoribus nostris, æquè, ac nobis etiam, si qui alii casus inciderint, in quibus magnæ etiam impensæ insumendæ aliquando erunt pecuniæ, opes aliundè non deerunt, quibus conservata hac in hoc à nobis constituto, & sancito ærario summa, occurri necessitatibus incidentibus poterit. Etenim si à nobis, qui in hoc ipso Pontificatus nostri ingressu multis difficultatibus oppressi, ad sublevandam annonæ inopiam, ad exules, facinorososque homines publicæ quietis perturbatores coercendos, atque ob Basilicas religiosissimas, & toto terrarum Orbe celeberrimas reficiendas, atque instaurandas, cultumque divinum in hac Alma Urbe, quæ Christianæ Religionis Sedes est, & Domicilium, novis etiam sacris ædificiis, atque ornamentis amplificandum, tum etiam ob salubris, & copiosæ aquæ ad loca Urbis acclivia, quæ illa maximè indigent, operosam deductionem, aliasque gravissimas ob causas, multiplices, & maximas impensas subire coacti sumus, ærarii hujus pecunia, nostra sedulitate, & diligen-

tia

tia reposita, & ad certos præscriptos casus reservata non esset, sed in varios alios usus à nobis pro justo arbitratu nostro erogaretur, nullus quidem locus justæ adversùs nos querelæ Successoribus nostris relinqueretur, & nihilominus pro necessitatibus, etiam, quæ de repente inciderent, sumptus subire, & eis providere cogerentur. Propterea iis durum videri nullo modo debet, si conservata prædicti ærarii summa, quæ faciliorem ad alios nummos sibi comparandos viam munit, aliunde pecuniam sumere debeant, quàm in sumptus pro temporum varietate necessarios erogent.

Immo verò illud rationi valde consentaneum est, ut quàm inde pecuniæ partem in præscriptis illis casibus sumpserint, eam integram, cùm primùm sumptus in iis faciendi occasio cessaverit, planè in ipsum ærarium, unde acceperunt, restituant, ac reponant.

Et verò, ut ob causas tantùm supra planè præscriptas, ex eodem ærario pecunia justè, legitimèque sumatur, ad illius custodiam sex claves adhiberi jubemus, quarum tres Cardinalibus item tribus, qui ordinum capita dicuntur, quique in Romana Curia præsentes adsint, illis verò absentibus, tribus aliis, qui in eisdem ordinibus eis proximi erunt, eorumque locum eo tempore gesserint, sigillatim assignentur; quarta S. R. E. Camerario, quinta Decano Clericorum Cameræ Apostolicæ, à quo illam aliàs

tradi

tradi non liceat, nisi præsentibus, & consentientibus ejusdem Cameræ Apostolicæ Clericis duobus; sexta denique Thesaurario Generali. Claves verò duæ portarum ærarii hujus, sic à nobis constituti, altera Collegii Cardinalium Decano, eoque absente, antiquiori in ordine Cardinali in Urbe existenti; altera nostro, & pro tempore existenti Romani Pontificis Thesaurario secreto asservandæ tradantur, qui omnes jurabunt, se neque claves daturos, neque extractioni præfatæ pecuniæ consensuros, nisi in casibus suprascriptis, & tunc nisi consensu duarum partium Cardinalium, ut supra, interveniente.

Volumus insuper ejusdem Castri Sancti Angeli nunc, & pro tempore Præfecto juramentum deferri, atque ad illud præstandum in manibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarii teneri, se non permissurum, quavis jussione, & quibusvis clausulis munita non obstante, ex ærario per nos constituto aliquam pecuniarum quantitatem auferri, nisi forma per nos tradita observata. Si verò contra hoc juramentum fecerint, pecuniæque ex ærario partem aliquam, vel minimam contra hujus ordinationis, constitutionisque nostræ præscriptum sumi, promi, detrahique permiserint, anathematis pœnam ipso facto subeant.

Id quoque statuimus, & sancimus, ut omnes, & singuli tam seculares quavis dignitate, etiam Ducali, & Regia fulgentes, quàm Ecclesiastici cujusvis ordinis, & dignitatis, etiam Episcopi, vel Archie-

pisco-

piſcopi, vel Cardinales, qui de pecuniis ex eodem ærario, præter caſus, & formam ſupra præſcriptos, ſumendis, amovendiſque tractarint, conſuluerint, inſinuarint, ſuaſerint, aut ſuadere tentarint, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant, à qua, niſi ab ipſo Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolvi nequeant, ac præterea Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ iidem rebelles, læſæque Majeſtatis Rei eſſe cenſeantur, omnibuſque Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis Eccleſiaſticis Beneficiis, eo ipſo privati, cùm ad illa, tum ad alia in poſterum obtinenda inhabiles exiſtant. Quod ſi aliquando eos reintegrari contigerit, nihilominus infames etiam remaneant, nec verò unquam iis ad honores, gradus, dignitateſquè in poſterum aditus pateſiat.

Volumus autem, quod ſicut omnes, & ſinguli Cardinales præſentes Conſtitutionem hujuſmodi, quantum in eis erit obſervare, illique non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, aut abſolutionem à juramento præſtito non petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare, in Conſiſtorio noſtro ſecreto promiſerunt, & jurarunt idem per abſentes Cardinales à Conſiſtorio in habitatione eorum, & à Romana Curia, ut quandocunque ad eandem Curiam ſe contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales in aſſumptione Pilei promitti, & jurari debeat, ac promiſſionem, & jura-

mentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungi, & inscribi debere, ac contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ, juris, & facti eo ipso incurrere decernimus.

Præterea quòd ipsi Cardinales, occurrente Apostolicæ Sedis vacatione, in Conclavi, quando de observandis felicis recordationis Prædecessorum nostrorum Julii Secundi literis super electione Romani Pontificis, & Pii Quinti: *Ne Civitates, & Loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ infeudentur*: & aliis Constitutionibus juramentum præstare solent, etiam de inviolabiliter præsenti Constitutione nostra, per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem, hoc ipsum promittere, ac jurare, & deinde post Coronationem suam promissionem, & juramentum hujusmodi per literas suas speciales, harum confirmatorias reiterari debeat. Quod si illud à Pontifice, quod credendum non est, recusabitur, aut differretur, tunc dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita ordinum apud eum omni cum instantia, & instantissimè pro præsentium observatione petere, & rogare, ac obtestari non cessent. Quod si semel, atque iterum enixè rogatus, ejusmodi juramentum præstare diutius etiam distulerit, tunc demum omnes, sin-

gu-

gulosque Cardinales ea lege adstringimus, ut in singulos annos quinquies, in die scilicet Natali Domini, in Pascha Resurrectionis, in Festo solemni Sancti Petri, die praeterea anniversario Creationis, & Coronationis ipsum Pontificem instanter, instantiùs, atque instantissimè rogent, orent, obsecrent, atque obtestentur, ut de sancito hoc aerario, quod Deo obtulimus, & dicavimus, ad praescriptum custodiendo, servandoque sanctè juret, idque ut omnino efficiat tamdiu, quoad plenè effecerit, diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus.

Has verò nostras literas in libellum redigi, & post praedictas Julii Secundi, & Pii Quinti literas, quae in ipso Conclavi legi solent, aliisque Constitutionibus Apostolicis adjungi, & in Quinterno etiam Cancellariae Apostolicae unà cum aliis Constitutionibus nostris describi, & in valvis Basilicae Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac in Acie Campi Florae publicari.

Earumque transumptis, & exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Praelati, seu Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eandem fidem ubique haberi, in judicio, & extra, quae praesentibus haberetur, volumus, & jubemus.

Si quis autem fortasse nostrorum Successorum, id quod minimè credimus, huic nostrae Constitutio-

ni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra ſtatuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut ſupra ſancitum eſt, in idem ærarium non reſtituerit, admonemus poſt derogantis, aut contra ſtatuentis, contraque facientis obitum liberum eſſe Succeſſoribus ea derogatione, & quibuſvis aliis, quæ contra ſtatuta ſunt, non obſtantibus, pro pecunia contra hujus Conſtitutionis præſcriptum, ſumpta, ac deprompta recuperanda adversùs Pontificis derogantis, & contrafacientis, & Cardinalium idem conſentientium poſteros, ſeu conjunctos omnes, quibus ab ipſo Pontifice, aut Cardinalibus bona quovis titulo, vel quavis ratione obvenerint agere, & poſſeſſionem bonorum, quæ ad ipſos poſteros pervenerint, adipiſci, retinerique, donec quicquid pecuniæ depromptum eſt, id omne in ærarium referatur, & reſtituatur, eaque ipſa bona, ſi quo modo, ut ſupradictum eſt, à forma per nos conſtituta recedi contigerit, hujuſmodi obligationi, atque oneri obnoxia, & addicta eſſe voluimus, ſingulis, quæ in noſtris literis adverſari poſſent, vel quoquo modo obeſſe penitus remotis, ac non obſtantibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Conſtitutionis, collocationis, repoſitionis, aſſervationis, aſſignationis, oblationis, dicationis, abdicationis, promiſſionis, juramenti, voti, profeſſionis, ſanctionis, adſtrictionum, decretorum, ſtatutorum, ordinationis, juſſionum, admonitionis,

& vo-

& voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dâtum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto undecimo Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno primo.

Ego SIXTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo, & juro.

Ego A. Card. Farnesius Episcopus Ostien. Vice-Cancell. promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus Cardinalis Sabellus Episcopus Portuen. promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Antonius Card. S. Georgii Episcopus Tusculanus promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Franciscus Card. de Gambara Episcopus Præneft. promitto, voveo, & juro.

Ego M. S. Card. ab Altemps promitto, voveo, & juro.

Ego Innicus Avalus Card. de Aragonia promitto, voveo, & juro.

Ego Marcus Antonius Card. Columna promitto, jura, & voveo.

Ego P. Card. Sanctacrucius promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus promitto, voveo, & juro.

Ego Ludovicus Madrucius Card. promitto, voveo, & juro.

Ego N. Card. Senonensis promitto, voveo, & juro.

Ego Julius Antonius Card. Sanctæ Severinæ promitto, voveo, & juro.

P. Card. Cæsius promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Rusticuccius promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Albanus promitto, voveo, & juro.

Ego Philippus Boncompagnus Card. S. Sixti promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Simoncellus promitto, juro, & voveo.

Ego P. Card. Deza promitto, voveo, & juro.

Ego Antonius Card. Caraffa promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Antonius Card. Sanctorum Quatuor promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Baptista Card. S. Marcelli promitto, voveo, & juro.

Ego Vincentius Card. Montis Regalis promitto, voveo, & juro.

Ego Scipio Card. Lancellottus promitto, voveo, & juro.

Ego Vincentius Cardinalis Gonzaga promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Henricus Card. Cajetanus promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Baptista Card. Castruccius promitto, voveo, & juro.

Ego Federicus Cardinalis Cornelius promitto, voveo, & juro.

Ego Dominicus Card. Pinellus promitto, voveo, & juro.

Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus promitto, voveo, & juro.

Ego Decius Cardinalis Azzolinus promitto, voveo, & juro.

Ego Ferdinandus Cardinalis de Medicis promitto, voveo, & juro.

Ego Philippus Card. Vastavillanus promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus Card. Sfortia promitto, voveo, & juro.

Ego Alexander Card. Montaltus promitto, juro, & voveo.

CON-

CONSTITUTIO SIXTI QUINTI

De decies alteris centenis millibus nummûm aureorum In Arce S. Angeli ſepoſitis, nullo unquam tempore, niſi in præſcriptis caſibus, certaque deſuper ſervata forma depromendis.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ANNO ſuperiore decies centena millia nummûm aureorum in Pontificia S. Angeli Arce, & certo ſanctiori ærario repoſuimus, & collocavimus, ac de illis aſſervandis, ac nunquam niſi certis præſcriptis caſibus promendis, & erogandis, Conſtitutionem perpetuò valituram edidimus.

Verùm, cùm ob culpas, peccataque nostra multiplicia, quibus divinam Majestatem in dies magis iracundiam provocamus, usque eò necessitates superiùs enarratæ multiplicentur, periculaque Gregi Dominico impendentia adaugeantur, ut illis, nec dum prioris pecuniæ collectione, satìs provisum esse videatur. Nos quamvis in omnibus difficultatibus, curisque nostris, in Dei Omnipotentis auxilio spem nostram fixam habeamus, ad illiusque opem (qui nisi custodierit Civitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam) ex intimo cordis affectu confugiamus, tamen ab eo ipso Pastorum Principe Christo frequenter admoniti, ut pro ovibus nostræ fidei creditis, earumque salute, & utilitate, modis omnibus vigilemus, facere non possumus, pro nostro Pastorali munere, in hac quoque parte obeundo, quin humanis etiam consiliis, ac viribus (pro eo ac nobis ab eodem clementissimo Domino elargitum est) ad tot mala, periculaque pulsanda, nova quotidiè præsidia conaremur. Quamobrem alia decies centena millia aureorum nummûm, non ad nostra, aut cujusque nostrorum privata commoda, sed ad publicum bonum, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, defensionem, ad Fidei Catholicæ conservationem, ac propagationem, nostra sedulitate, ac frugalitate collegimus, quæ eadem in Arce, ut priora altera decies centena millia reponi, asservari, nec inde amoveri, erogarive,

nisi in supradictis expressis necessitatibus, eodem planè modo volumus. Motu proprio igitur, & ex certa nostra scientia, ac habita super hoc cum venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio, & unanimi consensu, hac præsenti nostra perpetuò valitura Constitutione, dicta alia decies centena millia aureorum nummûm in eadem Arce nostra Pontificia S. Angeli, & sanctiori ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Christo Domino nostro, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Sanctis Apostolis Petro, & Paulo offerimus, & dicamus, iisdem omnino legibus, & conditionibus, quæ in nostra superiùs descripta Constitutione præscriptæ, ac præfinitæ sunt.

Declarantes nostræ voluntatis, mentisque esse, ut quod in ipsa Constitutione, de recuperatione Terræ Sanctæ, & de generali expeditione contra Turcas dictum fuit, idem etiam locum obtineat, quoad utramque Deo dicatam pecuniæ summam, in recuperatione Regnorum à quibuscunque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ hostibus occupatorum, & in expeditione, quam contra eosdem decerni, ac fieri contigerit.

Ubi verò in præscriptis casibus, pecuniarum aliquid sumi necessitas postulaverit, volumus, ut de tota summa, tam superiori anno, quàm etiam nunc reposita, hoc prorsus, & non alio modo pe-

cuniæ

cuniæ ſumantur, & erogentur, nimirum ut in Conſiſtorio ſecreto præſcriptarum neceſſitatum qualitate, ac rerum, & temporum ratione diligenter perpenſa, atque ita cogente, non duarum ex tribus partibus Cardinalium, ſicuti in priori Conſtitutione noſtra ſancitum erat, ſed trium ſaltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui in Conſiſtorio interſuerint, conſenſu, decreto, & ſubſcriptione adhibitis, ex binis decies centenis millibus aureorum nummûm à nobis repoſitis, non ultra quartam partem, ideſt, non ultra quingenta millia nummûm promi liceat, & ea quidem quingentorum millium ſumma, non tota ſimul, ſed paulatim, moderatè, & ſucceſſivè depromatur per certas portiones, quæ in eodem Conſiſtorio, in quo de tota re deliberabitur à tribus partibus Cardinalium, ut dictum eſt, omnibus diligenter examinatis, decretæ, & præfinitæ fuerint. Quod ſi ipſis quingentis millibus erogatis, & conſumptis, præſcripti caſus, & neceſſitates novam impenſam requiſierint, tunc iterum propoſita, & adhibita in Conſiſtorio conſultatione, ſi conſenſus, decretum, & ſubſcriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, ut ſupra dictum eſt, acceſſerint, aliam ſummam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non ſtatim totam, ſed moderatione ea ſervata, eoque, quem duximus modo limitatam, & præfinitam, ſumi poſſe permittimus.

Cæterùm ſtatuimus, prout alia noſtra Conſtitutione ordinatum eſt, ut partes, & portiones pecuniæ ſupradictæ, quæ in aliquo ex præmiſſis caſibus ſumptæ fuerint, cùm ejus impenſæ faciendæ ratio ceſſaverit, omninò in ærarium, unde deprom- ptæ fuerint, integrè reſtitui, ac reponi primo quoque tempore debeant.

Has autem Deo dicatas pecunias, nullo unquam tempore, niſi aliqua ex iis, qùas duximus, neceſſitas urgeat, & requirat, neque in totum, neque ex aliqua parte amoveri, erogarive à nobis quovis modo poſſe volumus, eamque amovendi, & erogandi poteſtatem, & facultatem à nobis ipſis abdicamus; idque Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, propoſito ſibi tremendo judicio, in quo ſummo Patriſamilias de adminiſtrata villicatione exquiſita reddetur ratio, eodem planè modo facturos eſſe confidimus, & ſperamus. Tandemque Deo per præſentes oblatam pecuniam, unà cum illa priori, nos integram, ut dictum eſt, conſervaturos eſſe, ac perinde omnino ac res, & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros promittimus, juramus, & vovemus, & ſicuti omnes Cardinales præſentes, & infraſcripti voverunt, promiſerunt, ac jurarunt, ita per alios Cardinales nunc, & pro tempore exiſtentes, ac per Succeſſores noſtros, quando, & quoties ſuperiùs ordinatum fuit, & juxta formam nunc traditam jurari, promitti, ac voveri debere decernimus.

De-

Denique cætera omnia, & singula in eadem Constitutione suprascripta, quomodolibet expressa, constituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis, ut præfertur, nunc collocata, & recondita, & quoad præsentes nostras literas, in omnibus, & per omnia, penitus, omnino, & inviolabiliter observari, & locum habere volumus, præcipimus, & mandamus.

Si quis autem fortasse nostrorum Successorum, id quod minimè credimus, huic nostræ Constitutioni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra statuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut supra sancitum est, in idem ærarium non restituerit, admonemus, post derogantis, aut contra statuentis, contraque facientis obitum, liberum esse Successoribus ea derogatione, & quibusvis aliis, quæ contra statuta sunt, non obstantibus, pro pecunia contra hujus Constitutionis præscriptum sumpta, ac deprompta recuperanda, tam adversùs Pontificis derogantis, & contra facientis posteros, seu conjunctos omnes, quàm adversùs Cardinales idem consentientes, aut quoscunque eorum hæredes, quibus ab ipso Pontifice, aut Cardinalibus bona quovis titulo, vel quavis ratione obvenerint, agere, & possessionem bonorum, quæ ad ipsos posteros pervenerint, adipisci, retinerique donec quicquid pecuniæ depromptum est, id omne in ærarium referatur, & restituatur, eaque ipsa bona, si quo modo, ut supra

dictum

dictum est, à forma per nos constituta recedi contigerit, hujusmodi obligationi, atque oneri obnoxia esse voluimus, singulis, quæ in nostris literis adversari possent, vel quoquo modo obesse penitus remotis, ac non obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ reconditionis, repositionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permissionis, statuti, voluntatum, abdicationis, promissionis, juramenti, voti, decreti, præcepti, mandati, & admonitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo septimo octavo Idus Novembris, Pontificatus nostri anno tertio.

Ego SIXTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego A. Card. Farnesius Vice-Canc. Episcopus Hostien.
Ego Jac. Card. Sabellus Episcopus Portuen.
Ego Jo: Ant. Episcopus Tuscul. Card. Sancti Georgii.
Ego Alph. Card. Gesualdus Episcopus Albanen.
Ego Inn. Avalus Card. de Arag. Episcopus Sabinen.
Ego Marcus Antonius Card. Columna Episc. Prænestinus.

Mar-

Marcus Syticus Card. ab Altemps tituli Sanctæ Mariæ Trans-Tiberim.

Ego Ptolomæus Card. Comensis tit. Sanctæ Mariæ de Populo.

Ego Prosper Card. Sanctacrucius tit. Sancti Clementis.

Ego Gabr. Card. Paleottus tit. S.Laurentii in Lucina.

Ego Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrinus tit. Sanctæ Mariæ super Minervam.

Ego Ludovicus Card. tit. S. Anastasiæ Madrucius.

Ego Nic. de Sens tit. Sanctæ Praxedis.

Julius Ant. Card. Sanctæ Severinæ tit. S. Bartholomæi in Insula.

Ego Hieronymus Card. Rusticuccius tit. S. Susannæ.

Ego Jo: Hieron. Card. Alban. tit. S. Joannis ante Portam Latinam.

Ego P. Card. Deza tit. S. Hieron. Illyricorum.

Ego Ant. tit. SS. Joannis, & Pauli Card. Caraffa.

Ego Jo: Ant. Card. SS. Quatuor.

Ego Jo: Baptista Card. tit. S. Marcelli.

Ego Franciscus Card. de Joyeuse tit. S. Silvestri.

Ego Ant. M. Card. Salviatus tit. S. Mariæ de Pace.

Ego Aug. Card. de Verona tit. S. Marci.

Ego Vincentius tit. S. Mariæ in Via Card. Montis Regalis.

Ego Philippus Card. Spinula tit. S. Sabinæ.

Ego Scipio Card. Lancellottus tit. Sancti Salvatoris in Lauro.

Ego

Ego Vincentius Card. Gonzaga tit. Sancti Alexii.

Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Card. Cajetanus Camerarius.

Ego Jo: Bapt. Card. Castruccius tit. S. Mariæ in Aracæli.

Ego Federicus Card. Cornelius tit. S. Stephani in Monte Cælio.

Ego Dominicus tit. S. Laurentii Card. Pinellus.

Ego Hippolytus Card. Aldobrandinus tit. S. Pancratii Major Pœnitentiarius.

Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.

Ego Fr. Hier. Card. Ascul. tit. S. Thomæ in Parione.

Ego Fr. Constantius Card. Sarnanus tit. S. Petri in Monte aureo.

Ego Gulielmus Alanus tit. S. Martini in Montibus Card. Ang.

Ego Alexander Card. Montaltus Diac. S. Eustachii.

Ego Hieron. Card. Matthæus Diac. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Benedictus S. Agathæ Diac. Card. Justinianus.

Ego Ascanius SS. Viti, & Modesti, & Crescent. Diaconus Card. Columna.

CON.

CONSTITUTIO SIXTI QUINTI

De tertiis decies centenis millibus nummûm aureorum in Arce S. Angeli repositis, inde nullo unquam tempore, nisi in præscriptis casibus, certaque desuper servata forma depromendis.

SIXTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

ETsi nos permultis superiorum temporum experimentis edocti, satis superque intelleximus, quot, quantisque casibus humana sit obnoxia conditio, mens tamen nostra divina quadam inspiratione à Patre luminum Deo est tandem admonita, ad ea pro viribus paranda præ-

ſidia, quibus Beati Petri Navis, cujus gubernacula nobis, licèt immeritis, commiſſa ſunt, inter varias miſerabilis hujus vitæ procellas tuta, incolumiſque ſervari poſſet. Proinde cùm ad res difficiles explicandas, ac maxima pericula, graviſſimaque diſcrimina evitanda, pecuniarum copiam quamplurimum conferre dignoſceremus, primo noſtri Pontificatus anno decies centena nummûm aureorum millia; altero verò altera itidem decies centena millia, in certum, ſanctiuſque ærarium (quod in Pontificia S. Angeli Arce conſtitutum eſt) ſumma diligentia, induſtriaque retulimus; ac de utriſque decies centenis millibus nummûm perpetuò aſſervandis, nec ullo inde unquam tempore, niſi ad præſcriptos, maximèque neceſſarios uſus depromendis, & erogandis binas Conſtitutiones edidimus, quarum tenores tametſi hìc pro inſertis, & expreſſis haberi volumus, illos nihilominus etiam de verbo ad verbum, quatenus opus ſit, inſeri mandamus.

Verumtamen cùm adversùs ejuſdem Principis Apoſtolorum Navem novos quotidie concitari fluctus, ac Turcarum præcipuè Tyrannum, atrociſſimum Chriſtiani nominis hoſtem, ab immaniſſimis Hæreticis, & Schiſmaticis (qui jam non ampliùs de fide, aut de religione contendunt; ſed de Catholicorum pernicie, & interitu dies, noctesque cogitant) ſollicitari audiamus, ut ingentem inſtruat Claſſem, totiſque viribus in Chriſtianorum exitium inſur-

insurgat, eosdemque Ecclesiæ Dei perduelles nihil in dies enixiùs moliri, quàm ut inconsutilem Christi JESU Redemptoris Tunicam (hoc est Catholicam Ecclesiam) discindant, ac Regna, & Populos à Christianis Principibus teterrimo impietatis eorum schismate alienent; Quocirca ingentes, ac luctuosas turbas in florentissimo Galliæ Regno jamdiu excitatas quotidie magis alere, atque conflare non desistunt, atque adeo in variis Germaniæ locis equitum, peditumque collecta manu passim, ac impunè acerbiores injurias, gravioraque damna minitantur. Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscum à nobis hac de re sæpius actum est, animadvertentes, majoribus malis ingruentibus, majori etiam pecuniarum præsidio Apostolicæ Sedi opus esse, opere pretium duxerunt, ut à nobis alia decies centena nummûm aureorum millia, præter bina superiora Pontificio in ærario collocarentur.

Nos verò, qui non ignoramus, & Præsidem Civitatis frustra vigilare, nisi eam Dominus custodiat, & ipsum Dominum tentari, nisi qui præest vires, nervosque omnes intendat, ut ea faciat, & præstet, quæ ad Civitatem tuendam, servandamque pertineant, eorundem Fratrum nostrornm consilium summopere probantes, clementissimi Dei benignitate freti, ad hujusmodi pecuniarum summam cogendam, eamque in idem Pontificium ærarium referendam, mentem omnem, animumque adjecimus.

Motu proprio igitur, & ex certa nostra scientia, ac habita super hoc cum eisdem Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto matura deliberatione, de eorum consilio, & unanimi consensu, hac præsenti nostra perpetuò valitura Constitutione, dicta alia tertio loco decies centena millia nummûm aureorum in eadem Arce nostra Pontificia S. Angeli, & sanctiori ærario nunc recondimus, reponimus, & collocamus, ac Christo Domino nostro, Beatæ Mariæ semper Virgini, & Sanctis Apostolis Petro, & Paulo offerimus, & dicamus, iisdem omnino legibus, & conditionibus, quæ in prioribus nostris superiùs descriptis Constitutionibus præscriptæ, & præfinitæ sunt. Declarantes nostræ voluntatis, mentisque esse, ut quod in ipsis prioribus Constitutionibus de recuperatione Terræ Sanctæ, & generali expeditione contra Turcas dictum fuit, iidem etiam locum obtineant, quoad omnes has Deo dicatas pecuniæ summas, in recuperatione Regnorum à quibuscumque Catholicæ Romanæ Ecclesiæ hostibus occupatorum, & in expeditione, quam contra eosdem decerni, ac fieri contigerit.

Ubi verò in præscriptis casibus pecuniarum aliquid sumi necessitas postulaverit, volumus, ut de tota summa tam superioribus annis, quàm etiam nunc reposita, hoc prorsus, & non alio modo pecuniæ sumantur, & erogentur; nimirum ut in Consistorio

secre-

ſecreto præſcriptarum neceſſitatum qualitate, ac rerum, & temporum ratione diligenter perpenſa, atque ita cogente, trium ſaltem ex quatuor partibus Cardinalium, qui Conſiſtorio interfuerint, ſicuti in præinſerta Conſtitutione noſtra ſancitum eſt, conſenſu, decreto, & ſubſcriptione adhibitis, externis decies centenis millibus aureorum nummûm à nobis repoſitis, non ultra ſextam partem, ideſt non ultra quingenta millia nummûm promi liceat, & ea quidem quingentorum millium ſumma non tota ſimul, ſed paulatim, moderatè, & ſucceſſivè depromatur per certas portiones; quæ in eodem Conſiſtorio, in quo de tota re deliberabitur à tribus partibus Cardinalium, ut dictum eſt, omnibus diligenter examinatis, decretæ, & præfinitæ fuerint. Quod ſi ipſis quingentis millibus erogatis, & conſumptis, præſcripti caſus, & neceſſitates novam impenſam requiſierint, tunc iterum propoſita, & adhibita in Conſiſtorio conſultatione, ſi conſenſus, decretum, & ſubſcriptio trium ex quatuor partibus Cardinalium, ut ſupra dictum eſt, acceſſerint, aliam ſummam, non tamen quingenta millia aureorum excedentem, illamque pariter non ſtatim totam, ſed moderatione ea ſervata, eoque, quem diximus, modo limitatam, & præfinitam, ſumi poſſe permittimus. Cæterùm ſtatuimus, prout aliis prioribus noſtris Conſtitutionibus ordinatum eſt, ut partes, & portiones pecuniæ ſupradictæ, quæ in aliquo ex præmiſſis ca-

ſibus ſumptæ fuerint, cùm ejus impenſæ faciendæ ratio ceſſaverit, omnino in ærarium, unde deprompptæ fuerunt, integrè reſtitui, ac reponi primo quoque tempore debeant.

Has autem Deo dicatas pecunias nullo unquam tempore, niſi aliqua ex iis, quas diximus, neceſſitas urgeat, & requirat, neque in totum, neque ex aliqua parte amoveri, erogarique quovis modo à nobis poſſe volumus, eamque amovendi, & erogandi poteſtatem, & facultatem à nobis ipſis abdicamus. Idque Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, propoſito ſibi tremendo judicio, in quo ſummo Patriſamilias de adminiſtrata villicatione exquiſita reddetur ratio, eodem planè modo facturos eſſe confidimus, & ſperamus. Tandemque Deo per præſentes oblatam pecuniam, unà cum illa priori, nos integram, ut dictum eſt, conſervaturos eſſe, ac perinde omnino ac res, & bona Eccleſiæ immobilia nos habituros promittimus, juramus, & vovemus, & ſicuti omnes Cardinales præſentes, & infraſcripti voverunt, promiſerunt, ac jurarunt, ita per alios Cardinales nunc, & pro tempore exiſtentes, ac per Succeſſores noſtros, quando, & quoties ſuperiùs ordinatum fuit, & juxta formam nunc traditam jurari, promitti, ac voveri debere decernimus.

Denique cætera omnia, & ſingula in eadem Conſtitutione ſupraſcripta quomodolibet expreſſa,

con-

constituta, & decreta, etiam in hac pecunia à nobis, ut præfertur, nunc collocata, & recondita, & quoad præsentes nostras literas in omnibus, & per omnia, penitus, omnino, & inviolabiliter observari, & locum habere volumus, præcipimus, & mandamus.

Si quis autem fortasse nostrorum Successorum, id quod minime credimus, huic nostræ Constitutioni omnino, aut aliqua ex parte derogare, aut contra statuere voluerit, aut depromptam pecuniam, ut supra sancitum est, in idem ærarium non restituerit, admonemus post derogantis, aut contra statuentis, contraque facientis obitum, liberum esse Successoribus, ea derogatione, & quibusvis aliis, quæ contra statuta sunt, non obstantibus, pro pecunia contra hujus Constitutionis præscriptum sumpta, ac deprompta recuperanda, tam adversùs Pontificis derogantis, & contra facientis posteros, seu conjunctos omnes, quàm adversùs Cardinales idem consentientes, aut quoscumque eorum hæredes, quibus ab ipso Pontifice, aut Cardinalibus bona quovis titulo, vel quavis ratione obvenerint, agere, & possessionem bonorum, quæ ad ipsos posteros pervenerint, adipisci, retinerique, donec quicquid pecuniæ depromptum est, id omne in ærarium referatur, & restituatur, eaque ipsa bona, si quomodo, ut supra dictum est, à forma per nos constituta recedi contigerit, hujusmodi obligationi, atque oneri

obno-

obnoxia esse, & addicta voluimus, singulis, quæ in nostris literis adversari possent, vel quoquo modo obesse, penitus remotis, ac non obstantibus.

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ reconditionis, repositionis, collocationis, oblationis, dicationis, declarationis, permissionis, statuti, voluntatis, abdicationis, promissionis, juramenti, voti, decreti, præcepti, mandati, & admonitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo octavo quinto Kalendas Maji, Pontificatus nostri anno quinto.

Ego SIXTUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo, & juro.

Ego A. Card. Farnesius Episcopus Ostien. Vice-Cancell. promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Antonius Episc. Card. S. Georgii promitto, voveo, & juro.

Ego Alphonsus Card. Gesualdus Episc. Tuscul. promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Innic. Avalus Card. de Aragonia Episc. Sabinen. promitto, voveo, & juro.

Ego Ptolomæus Card. Comens. Episc. Albanen. promitto, voveo, & juro.

Ego Marcus Sytic. Card. ab Altemps tit. S. Mariæ Trans-Tiber. promitto, voveo, & juro.

Ego P. Card. Sanctacrucius tit. S. Clementis promitto, voveo, & juro.

Fr. Michael Bonellus Card. Alexandrin. tit. S. Mariæ super Minervam promitto, voveo, & juro.

Ego Ludovicus Card. Madrucius tit. S. Anast. promitto, voveo, & juro.

Ego Nic. Card. de Pelleve tit. S. Prax. promitto, voveo, & juro.

Ego Julius Ant. tit. S. Bartholomæi in Insula Card. S. Severinæ promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus Card. Rusticuccius tit. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Hieron. Card. Albanus tit. S. Joan. ante Port. Lat. promitto, voveo, & juro.

Ego Hieron. Card. Simoncellus promitto, voveo, & juro.

Ego Petrus Card. Deza promitto, voveo, & juro.

Ego Ant. tit. SS. Jo: & Pauli Card. Caraffa promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Antonius Card. Sanctorum Quatuor promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Bapt. Card. S. Marcelli prom. vov. & juro.

Ego Franciſcus Card. de Joyeuſe tit. SS. Trinit. in Monte Pincio promitto, voveo, & juro.

Ego Julius Card. Cananius tit. S. Euſebii promitto, voveo, & juro.

Ego Nicolaus tit. S. Cæciliæ Card. Cremonen. promitto, voveo, & juro.

Ego Ant. Maria Card. Salviatus tit. S. Mariæ de Pace promitto, voveo, & juro.

Ego Aug. Card. Veron. tit. S. Marci promitto, voveo, & juro.

Ego Vincent. tit. S. Mariæ in Via Card. Montis Regalis promitto, voveo, & juro.

Ego Scipio Card. Lancellottus tit. S. Salvat. in Lauro promitto, voveo, & juro.

Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Card. Cajetanus S.R.E. Camerar. promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Bapt. tit. S. Mariæ in Aracœli Card. Caſtruccius prom. vov. & juro.

Ego Dominicus tit. S. Laurentii Card. Pinellus promitto, voveo, & juro.

Ego Hippolyt. tit. S. Pancratii Card. Aldobr. Major Pœnit. promitto, voveo, & juro.

Ego Hier. tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere prom. vov. & juro.

Ego Fr. Hieron. tit. S. Thomæ in Parione Card. Aſcul. prom. vov. & juro.

Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Peruſin. prom. vov. & juro.

Ego

Ego Fr. Constan. Card. Sarnanus tit. S. Petri in Monte aureo prom. vov. & juro.

Ego G. Alanus tit. S. Martini Card. Anglican. prom. vov. & juro.

Ego Scipio tit. S. Mariæ de Populo Cardin. Gonzaga prom. vov. & juro.

Ego Ant. Card. Saulius tit. S. Vitalis promitto, voveo, & juro.

Ego Evang. Card. Cusentinus tit. S. Matthæi in Merul. prom. vov. & juro.

Ego Fr. Steph. tit. SS. Marcellin. & Petri Card. Aretinus prom. vov. & juro.

Ego Franc. Card. Sfortia Diac. S. Nicolai in Carcere prom. vov. & juro.

Ego A. Diaconus S. Eustachii Card. Montaltus prom. vov. & juro.

Ego Hieron. S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Matthæjus prom. vov. & juro.

Ego Benedict. S. Agathæ Diac. Card. Justinianus prom. vov. & juro.

Ego Ascanius SS. Viti, & Modesti, & Crescen. Diac. Card. Columna promitto, voveo, & juro.

Ego Federicus S. Mariæ in Domnica Card. Borromæus promitto, voveo, & juro.

CONSTITUTIO INNOCENTII NONI

Confirmatio, & extensio Constitutionis S. Pii Quinti à Gregorio XIII. Sixto V. & Gregorio XIV. comprobatæ de non alienandis, & infeudandis Civitatibus, & aliis Locis Sedis Apostolicæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI Ad perpetuam rei memoriam.

QUÆ ab hac Sancta Sede, cui licèt indigni, auctore Domino, præsidemus, piè, & salubriter sancita, & ordinata noscuntur, ea ut perpetuò firma, illibataque permaneant, non solùm consensus, approbationis, & innovationis nostræ munimine roboranda, sed etiam decla-

declarationis præsidio, quatenus expedire visum sit, fulcienda censemus; & præcipuè muneris nostri esse ducimus ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, ad Patrimonii, dignitatis, & amplitudinis Sanctæ hujus Sedis conservationem, & incrementum laudabiliter disposita, & constituta sunt, in nobismetipsis servare, & aliis servanda tradere, & demonstrare.

Sanè fel. rec. Pius Papa Quintus Prædecessor noster de consilio, & assensu Venerabilium Fratrum suorum, tunc S. R. E. Cardinalium optimam, & saluberrimam Constitutionem edidit, & promulgavit.

Quam quidem Constitutionem piæ memoriæ Gregorius XIII. Sixtus V. & Gregorius XIV. Romani Pontifices pariter Prædecessores nostri, sicuti in ea cavetur, servare jurarunt, ac per eorum literas approbarunt, & confirmarunt, & innovarunt, prout in illis pleniùs continetur.

Nos itaque officii, & conscientiæ nostræ debito satisfacere cupientes, motu proprio, non ad alicujus supplicationem, vel super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostra in hoc primo secreto Consistorio, quod cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus habemus, Constitutionem prædictam, & omnia in ea contenta auctoritate Apostolica, tenore præsentium confirmamus,

appro-

approbamus, & innovamus, eamque inviolabilis firmitatis robur obtinere, plenamque executionem, & effectum perpetuis futuris temporibus habere decernimus. Ac præterea eisdem motu proprio, scientia, deliberatione, & auctoritate assentientibus, & approbantibus eisdem S. R. E. Cardinalibus.

Declaramus eadem Constitutione prohibitam fuisse, ac prohiberi omnem, & quamcunque infeudationem, & alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum prædictorum, eidem Sedi tam immediatè, quàm mediatè subjectorum, non solùm ne fiat, neve attentetur post eorum devolutionem, sed etiam antequam devolvantur, ac omnem, & quamcunque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, & extensionem infeudationum, investiturarum, ac concessionum de dictis Civitatibus, Terris, & Locis, nondum finitarum, ipsorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ alienationis, prorogationis, & extensionis hujusmodi, non à die eorum devolutionis, sed à die ipsius Constitutionis, & etiam antequam illa devolvantur, ipso jure cum omnibus clausulis, & decretis in prædicta Constitutione contentis, Cameræ, & Sedi Apostolicæ factam censeri.

Insuper volumus, & declaramus, ut promissio, & juramentum præstitum, & præstandum, de servanda eadem præfata Pii Prædecessoris nostri Constitutione per nos, & Romanos Pontifices Suc-

ces-

cessores nostros, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales intelligatur de ipsa Pii Prædecessoris Constitutione, ut supra per nos declarata, & secundùm hanc nostram declarationem eandem Constitutionem ad unguem, & inviolatè observari oportere, ac debere, sicuti & nos observaturos esse promittimus, ac sanctè, & solemni more juramus.

Et ita per quoscunque Judices, ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cameræ præfatæ Præsidentes, Clericos, Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia sublata eis, & cuilibet eorum, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, declarari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his per quoscunque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ac præsentes nostras literas in libello, in quo ipsa Constitutio Pii Prædecessoris continetur, ac in libro *Quinterno* appellato, Cancellariæ Apostolicæ, describi mandamus.

Non obstantibus iis, quæ idem Pius Prædecessor voluit non obstare, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, decreti, promissionis, juramen-

ramenti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo pridie Non. Novembris, Pontificatus nostri anno primo.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Alphons. Episcopus Ostien. Card. Gesualdus.
Ego Innic. Avalus Episcopus Portuen. Card. de Aragonia.
Ego Marcus Antonius Episcopus Prænestinus Card. Columna.
Ego Ptol. Episcopus Tusculan. Card. Comen.
Ego Gabriel Episcopus Sabinen. Card. Paleottus.
Frater Michael Bonellus Episcopus Alban. Card. Alexandrin.
Marcus Syticus Card. ab Altemps.
Ludovicus tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Madrucius.
Nic. de Pelleve Card. Presb. tit. S. Praxedis, vulgò Sens.
Julius Antonius Sanctorius tit. S. Bartholomæi in Insula Presb. Card. S. Severinæ.

Hieron.

Hieron. Card. Rusticucius tit. S. Susannæ.
Hieron. Card. Simoncellus tit. S. Priscæ.
Petrus Card. Deza tit. S. Hieronymi.
Alex. Card. Floren. tit. SS. Joannis, & Pauli.
Julius Card. Cananus tit. S. Anastasiæ.
Antonius Maria Card. Salviatus tit. S. Mariæ de Pace.
August. tit. S. Marci Card. de Verona.
Ego Vincentius tit. S. Clementis Card. Montis Regalis.
Ego Phil. Card. Spinula tit. S. Sabinæ.
Ego Georgius tit. S. Sixti Card. de Radzivil.
Ego Simeon Card. de Terranova tit. S. Mariæ Angelorum.
Ego Scipio tit. Sancti Salvatoris in Lauro Card. Lancellottus.
Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Card. Cajetanus S. R. E. Camerarius.
Ego Jo. Bapt. Card. Castruccius.
Ego Dominicus tit. S. Chrisogoni Card. Pinellus.
Ego Hyppol. tit. S. Pancratii Presb. Card. Aldobrandinus Major Pœnit.
Ego Hieronymus tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.
Ego Frater Hieron. tit. S. Mariæ super Minervam Presb. Card. Ascul.
Ego Ant. Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Perus.

Ego Frater Constantius Card. Sarnanus tit. S. Petri in Monte aureo.

Ego Gulielmus Card. Alanus tit. Sancti Martini in Montibus.

Ego Scipio tit. Sanctæ Mariæ de Populo Card. Gonzaga.

Ego Antonius tit. S. Stephani Card. Saulius.

Ego Evang. tit. S. Matthæi in Merulan. Card. Cusentinus.

Ego Jo: Franc. tit. Sanctæ Mariæ in Via Card. Maurocenus.

Marianus tit. SS. Marcellini, & Petri Presb. Card. de Camerino.

Ego Fr. Gregorius à Montelparo Card. tit. S. Augustini.

Ego P. Card. Sfondratus tit. S. Cæciliæ.

Ego Benedictus Card. Justinianus tit. S. Marcelli.

Ego Augustinus tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Presb. Card. Cusanus.

Ego Franc. Maria Card. SS. Quirici, & Julitæ.

Ego Octavius Card. Sancti Joannis ante Portam Latinam.

Ego Franc. Card. Sfortia Diac. Sanctæ Mariæ in Via lata.

Ego A. S. Laurentii in Damaso Diaconus Card. Montaltus S. R. E. Vice-Cancellarius.

Ego Hieronymus S. Eustachii Diaconus Card. Matthæjus.

Ego

Ego Ascanius Sanctæ Mariæ in Cosmedin Diacon. Card. Columna.

Ego Federicus Sancti Nicolai in Carcere Diac. Card. Borromæus.

Ego Guido SS. Cosmæ, & Damiani Diac. Card. Pepulus.

Ego Odoardus S. Adriani Diac. Card. Farnesius.

Ego Octavius Sancti Georgii in Velabro Diac. Card. de Aquaviva.

Ego Flaminius S. Mariæ in Domnica.

CONSTITUTIO
CLEMENTIS OCTAVI

Comprobatio Constitutionis Pii V. ab Innocentio IX. declaratæ, de non alienandis, & infeudandis Locis, & Civitatibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cum alterius declarationis adjectione.

CLEMENS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romani Pontificis curam, & sollicitudinem pertinet hoc quoque inter cætera non mediocri studio providere, ut quæ ad conservandam Sanctæ hujus Sedis temporalem ditionem bona, & jura, salubriter sancita fuerunt, ea & ab ipso, & ab aliis inviolata serventur.

Alias

Alias ſiquidem felicis recordationis Pius Papa Quintus Prædeceſſor noſter literas edidit in hæc verba . . . .
. . . .

Quæ quidem Conſtitutio uti optima, & ad retinendam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitatem planè ſalutaris approbata, confirmata, & innovata fuit ab iis, qui ſequuti ſunt, Prædeceſſoribus noſtris; piæ nimirum memoriæ Gregorio XIII. Sixto V. & Gregorio XIV.

Et noviſſimè ab Innocentio IX. qui etiam de Venerabilium Fratrum ſuorum, tunc Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, & aſſenſu, de quorum numero nos quoque tunc eramus, declaravit eadem Conſtitutione prohibitam fuiſſe, & prohiberi omnem, & quamcunque infeudationem, & alienationem Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum Sedi Apoſtolicæ tam mediatè, quàm immediatè ſubjectorum, non ſolùm ne fiat, neve attentetur poſt eorum devolutionem, ſed etiam antequam devolvantur, ac omnem, & quamcunque in perpetuum, vel ad tempus prorogationem, ac extenſionem infeudationum, inveſtiturarum, & conceſſionum de dictis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis nondum finitarum, ipſorumque incorporationem, quoad effectum impediendæ infeudationis, alienationis, prorogationis, & extenſionis hujuſmodi non à die eorum devolutionis, ſed à die ipſius Conſtitu-

tionis, etiam antequam illa devolvantur, ipſo jure, cum omnibus clauſulis, & decretis in prædicta Conſtitutione contentis, Cameræ, & Sedi Apoſtolicæ factam cenſeri; adjecto etiam decreto, & declaratione, ut promiſſio, & juramentum præſtitum, & præſtandum de ſervanda eadem Pii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutione, per ipſum Innocentium, & Succeſſores ſuos Romanos Pontifices, ac prædictos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, intelligatur de ipſa Pii V. Prædeceſſoris Conſtitutione, per eum ut ſupra declarata, & ſecundum hujuſmodi declarationem, eandem Conſtitutionem ad unguem, & inviolabiliter obſervari oportere, ac debere, ſicuti etiam ſe ſervaturum eſſe promiſit, ac ſanctè, & ſolemni more juravit, prout in ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris, ſub datum pridie Non. Novembris Pontificatus ſui anno primo, expeditis literis clariùs continetur.

Quare nos cùm primùm ad Apoſtolicæ dignitatis faſtigium divina providentia vocati ſumus, id ipſum ad exequendum noſtri Paſtoralis officii debitum præcipuè pertinere exiſtimantes, præinſertas Pii Prædeceſſoris literas, ac omnia in eis contenta, etiam juxta declarationem prædictam, per ipſum Innocentium Prædeceſſorem factam, ac deſuper confectarum literarum tenorem, quem pariter præſentibus haberi volumus pro expreſſo, ac ad verbum inſerto, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium

com-

comprobamus, confirmamus, & innovamus, easque firmiter, & inviolatè, ac juxta declarationem prædictam nos similiter servaturos esse promittimus, & juramus, atque per eos, ad quos spectat, pariter perpetuò observari præcipimus, & mandamus. Nulli ergo omnino, &c. Si quis, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonàgesimo secundo, decimo sexto Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

Sanctissimus D. N. dixit post editam per sanctæ recordationis Pium Papam V. Sanctitatis Suæ Prædecessorem de Fratrum consilio Constitutionem de non alienandis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis sibi, & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediatè, & immediatè subjectis, etiam ad illud usque tempus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solitis, ad Sedem prædictam quomodolibet devolutis, & pro tempore devolvendis, gravissimis impositis pœnis contra personas tractantes, aut aliàs verba facientes de hujusmodi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum infeudationibus, etiam sub prætextu necessitatis, & evidentis utilitatis, sive illas insinuantes, & suadentes, prout in ipsa Constitutione sub dat. 4. Kalen. Aprilis Pontificatus sui anno secundo edita, sæpius postmodum per Prædecessores suos, ac novissimè per Sanctitatem Suam comprobata latiùs continetur.

Piæ

Piæ memoriæ Gregorium XIV. itidem Prædecessorem suum in Consistorio secreto Romæ apud Sanctum Marcum die Veneris 13. Septembris 1591. habito, sententiis tamen S. R. E. Cardinalium, qui tunc aderant, ac de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minimè requisitis, quin immo multis eorum expresśè contradicentibus declarasse, & decrevisse, Pii Prædecessoris Constitutione prædicta non prohiberi feudum nondum devolutum, quando necessitas, & vera Ecclesiæ utilitas postulaverit, iterum infeudari. Nec juramentum in ea præstitum, similem casum comprehendere, ac neminem licitè jurare posse, quod contra necessitatem, aut evidentem utilitatem Ecclesiæ sit; sicque prædictam Constitutionem intelligendam judicasse, ac definivisse, itaut, ut nemini de ea postea aliter, quàm tunc ab ipso declaratum fuit, loqui, & scribere liceret, prout in eodem decreto, & declaratione pleniùs continetur.

Verum quia re ipsa compertum est, quod ferè omnes alienationes Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum hujusmodi hactenus factæ, ex quibus magna læsio, & imminutio patrimonii, ac existimationis S. R. E. sequuta est, etiam sub prætextu, & colore veræ, & evidentis necessitatis, vel utilitatis Prædecessoribus Sanctitatis Suæ insinuatæ fuerunt, cùm tamen vix ulla necessitas excogitari possit, cui ex aliis bonis, aut redditibus, & pro-

ventibus, quàm Constitutione prædicta alienari prohibitis subveniri nequeat, vix etiam ulla dari possit utilitas, cui non præponderet recuperatio, & realis reintegratio in Patrimonium S. R. E. Civitatum earundem, & Locorum huc usque alienatorum; cùmque hujusmodi casus absolutæ necessitatis, aut veræ, & evidentis utilitatis faciliùs mente, atque animo concipi, & effingi, quàm usu venire possint, multò magis expedire omnem prorsus alienationum, & investiturarum, prorogationum, & aliarum concessionum quomodocunque, & quibuscunque causis, & prætextibus attentandi viam omnino præcludere, quàm ob rarissimos casus, qui vix unquam contingere possunt, apertam relinquere, cùmque lucrum in tempore negligere, maximum quandoque sit Ecclesiæ lucrum, utiliùs esse radices omnes, ex quibus hujusmodi alienationes provenire valeant, penitus evellere, quàm ex eo, quod aliquando possit earum aliqua utilis esse, occasionem præbere, ut multæ præjudiciales, & damnosæ fiant, cui absurdo, atque incommodo, ipsum Pium Prædecessorem præfatum dicta Constitutione non immeritò occurrere voluisse, qui longè plures, & graviores jacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse censuit, quàm utilitates ex paucissimis, si quæ unquam contingerent, fructuosæ. Proinde Sanctitas Sua habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, & singulorum auditis sententiis,

de eorum consilio, & unanimi assensu Decretum, & declarationem superiùs memoratam felicis recordationis Gregorii XIV. tanquam destruens prædicti Pii Constitutionem, alienandique occasionem præbens, ac minimè necessariam, & desuper forsan confectas literas, quarum omnium tenores haberi voluit pro expressis, ac ad verbum insertis, auctoritate Apostolica revocavit, abrogavit, cassavit, & annullavit, perinde si nunquam emanassent.

Declarans dicta Constitutione prohiberi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Feudorum, & Locorum in ea contentorum, tam quæ nunquam antea in feudum concessa, quàm quæ aliàs etiam sæpius alienata, vel infeudata, ac postmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, prorogationes, & extensiones investiturarum, feudorum, & concessionum etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis facta, & faciendas. Juramentum quoque super ejusdem Constitutionis observationem per Sanctitatem Suam, & Successores suos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præstitum, & præstandum, casum hunc necessitatis, etiam absolutæ, & evidentis, & veræ utilitatis omnino comprehendere; nec propterea aliquid illicitum jurari, aut quod contra necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ sit, sed quod rationi consonum, atque è re illius

est,

eſt, ac ſummopere conducit; prout eadem auctoritate declaravit, ſtatuit, & decrevit cum clauſulis, & derogationibus opportunis.

Actum Romæ in Monte Quirinali die vigeſima ſexta Junii milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſecundo in Conſiſtorio ſecreto.

CONSTITUTIO GREGORII XV.

Pro applicatione emolumenti Annuli Cardinalitii favore Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

GREGORIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem ex Paſtoralis officii debito ad ea, per quæ Congregationum quarumlibet, præſertim ad Fidei Catholicæ propagationem inſtitutarum neceſſitatibus, & indigentiis occurritur, libenter intendere, ac in his ejuſdem officii ſui partes favorabili-

ter interponere, prout conſpicit in Domino ſalubriter expedire.

Aliàs ſiquidem nos certis rationabilibus de cauſis emolumenta ratione Annulorum Cardinalitiorum per hæredes Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium vita functorum Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ſolvi ſolita, Baſilicæ Sancti Joannis Lateranenſis de Urbe ad certum tunc expreſſum, & nondum elapſum tempus, Apoſtolica auctoritate conceſſimus, & elargiti ſumus, prout in literis Apoſtolicis ſub Annulo Piſcatoris deſuper confectis pleniùs continetur.

Nunc verò attendentes Congregationem Venerabilium Fratrum noſtrorum ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, per nos hodie pro Fidei Catholicæ propagatione inſtitutam, ſufficientibus redditibus, & proventibus ad opus tam pium neceſſariis, & opportunis minimè ſuffultam reperiri: ac illi, ut onera hujuſmodi faciliùs perferri valeant, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes; necnon emolumentorum hujuſmodi quantitates, ac valores etiam annuos, ſcripturarumquè ſuper præmiſſis confectarum veriores, ac totos tenores, ac datas præſentibus pro expreſſis habentes. Motu proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed de certa ſcientia, & mera liberalitate, ac matura deliberatione noſtris, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes, & ſingulas donationes, elargitiones, applicationes, & conceſſiones, ſeu quaſvis alias diſpo-

ſitio-

ſitiones de dictis emolumentis, ſeu eorum juribus prædictæ, ſeu quibuſvis aliis Baſilicis, vel aliis Locis piis quomodolibet qualificatis, & nuncupatis hactenus quomodolibet, & ſub quorumvis verborum expreſſionibus, formis, & perpetuò, vel ad tempus, per nos, ſeu quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, etiam motu ſimili, ac Conſiſtorialiter factas, aliaque jura illis, ſeu etiam aliis Urbis Baſilicis, vel Locis piis hujuſmodi, ex prædicta donatione, vel alia etiam quantumvis juſta, & rationabili cauſa, vel occaſione competentia, ac quaſcunque literas Apoſtolicas forſan deſuper confectas, & in eis contenta quæcunque, quorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis haberi volumus, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò revocamus, caſſamus, extinguimus, & annullamus, nulliuſque roboris, vel momenti fore, & eſſe declaramus, necnon emolumenta Annulorum Cardinalitiorum hujuſmodi, quæ Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, ſive iis, quibus applicata fuerant, ab hæredibus Cardinalium defunctorum debebantur, & ſolvebantur, prædictæ Congregationi cum omnibus, & ſingulis juribus, & actionibus in perpetuum donamus, concedimus, & applicamus; itaut liceat Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus nunc, & pro tempore exiſtentibus Congregationis hujuſmodi, ſeu ab illis deputatis, vel eorum Miniſtris præfata emolumenta propria auctoritate, etiam

per

per mandata ab antiquiore Congregationis hujusmodi Cardinali simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura Judicii, ac manu Regia, decernenda, & relaxanda, exigere, levare, ac illa penes Montem Pietatis deponere, seu in tot Locis Montium non vacabilium, aut aliàs quovis modo arbitrio dictæ Congregationis ad effectum illa in pios usus, & necessitates ipsius Congregationis similiter ejus arbitrio, & prout ipsis meliùs videbitur expendenda, & eroganda investire.

Insuper ut Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui nunc vivunt, hoc pium, & laudabile opus adjuvare possint, volumus, & similiter Apostolica auctoritate decernimus, & declaramus, quod si aliqui ex dictis Cardinalibus in eorum vita emolumenta ratione sui Annuli Cardinalitii prædictæ Congregationi realiter, & cum effectu tradiderint, vel qui de cætero tradent, & assignabunt, hæredes Cardinalis ipsius vita functi, seu causam ab eo habentes, vel habituri, ad eorundem emolumentorum præstationem, vel solutionem minimè teneantur, nec ad id cogi, vel compelli possint, quinimmo pro majori illorum securitate, dilecti Filii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius, Camerarius, aut alii Officiales Cameræ Apostolicæ pro tempore existentes, ad quos spectabit, statim atque ipsis constiterit, Cardinales, seu hæredes hujusmodi emolumenta prædicta eidem Congregationi, ut præfertur, solvisse; eosdem Cardina-

les,

les, ſeu hæredes per cedulam publicam, etiam in ampliſſima forma ejuſdem Cameræ, etiam perinde ac ſi emolumenta hujuſmodi ſibi perſoluta fuiſſent; de ſolutis quietare, & in eventum cujuſcumque moleſtationis, eandem Cameram ad pecuniarum eorumdem emolumentorum ratione ſolutarum reſtitutionem obligare debeant: Nos enim eos ab alia emolumentorum hujuſmodi aſſignatione, traditione, & effectuali conſignatione abſolvimus, & quietamus mandantes, & in virtute ſanctæ Obedientiæ diſtrictè præcipiendo inhibentes dilectis Filiis modernis, & pro tempore exiſtentibus ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerario, Vice-Camerario, Theſaurario, ac Clericis Præſidentibus, necnon Cameræ Apoſtolicæ Commiſſario, & Officialibus, ne ex emolumentis hujuſmodi ullam pecuniarum quantitatem ad certam rationem pro quolibet centenario, & anno per eos forſan percipi ſolita, aut regalia, ut vocant; vel quicquam aliud quovis prætextu, colore, vel ingenio, etiam ratione ſtipendii, ſeu ſalarii prætendere, habere, conſequi, aut exigere poſſint; ſed ut eaſdem præſentes literas firmiter, & inviolabiliter obſervent, ac ab omnibus inconcuſsè obſervari faciant, & procurent. Immo ſemper, & quandocunque illis conſtiterit prædictos Cardinales, ſeu ipſorum hæredes hujuſmodi emolumenta Annuli prædictæ Congregationi ſolviſſe; ſtatim ſi petatur quietantia in ampliſſima forma, tanquam ſi eidem Cameræ Apo-

ſtoli-

ſtolicæ ſoluta eſſent, expedire debeant; & ipſa Camera in caſu moleſtiæ, ut præfertur, ad reſtitutionem ipſis Cardinalibus, ſeu eorum hæredibus faciendam teneatur: Non permittentes, ipſam Congregationem, illiuſque perſonas, & Miniſtros ſuper dictorum emolumentorum conſequutione à quoquam publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quovis quæſito colore, vel ingenio impediri, moleſtari, aut inquietari.

At decernentes præſentes literas, etiam ex eo, quod Capitulum, & Canonici dictæ Baſilicæ Lateranenſis, vel quicumque alii in præmiſſis, quomodolibet intereſſe habentes, ſeu habere prætendentes, vel alii, ad quos forſan ſpectat, & pertinet, aut pro tempore ſpectabit, & pertinebit, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, neque præmiſſis conſenſerint, ſeu conſentiant: immo forſan illis contradicturi ſint, ſeu quibuſvis aliis, quantumvis juſtis, juſtiſſimis, & rationabilibus cauſis, de ſubreptionis, vel obreptionis, ſeu nullitatis vitio, aut intentionis noſtræ, vel quopiam alio defectu cogitato, vel inexcogitato, notari, impugnari, retractari, annullari, in jus, vel controverſiam revocari, aut adversùs eas quodcunque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, vel ſub quibuſcunque Conſtitutionibus, & literis Apoſtolicis in contrarium, etiam Motu pari, & Conſiſtorialiter emanatis, & emanandis, vel quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium gra-

tiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus nullatenus unquam comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum, ac eum, in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatutum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub quacunque poſteriori data, per perſonas Congregationis hujuſmodi pro tempore exiſtentes, eligenda, conceſſas, ſemper, & perpetuò validas, & efficaces eſſe, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet ſpectat, & pro tempore ſpectabit, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere; ſicque & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ipſius S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Vice-Legatos, dictæque Sedis Nuncios, ac etiam Theſaurarium, Clericos, Præſidentes, ac Commiſſarios, aliquoſque Cameræ hujuſmodi Officiales, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in qualibet inſtantia judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate Apoſtolica decernimus.

Quo circa Venerabilibus Fratribus noſtris Oſtienſi,

si, & Portuensi Episcopis, ac dilecto Filio causarum Curiæ Cameræ prædictæ Generali Auditori, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, quando, & quoties pro parte dictæ Congregationis, seu pro ea Agentium requisiti fuerint, præsentes literas, & in ea contenta quæcunque, ubi, quando, & quoties opus fuerit, faciant integraliter observari: Non permittentes dictam Congregationem, seu pro ea Agentes hujusmodi desuper quomodolibet indebitè molestari, perturbari, aut inquietari, Contradictores, & rebelles quoslibet per censuras Ecclesiasticas, aliaque juris, & facti remedia compescendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio.

Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, quatenus opus sit, de una, ac Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo aliquis extra suam Civitatem, & Diœcesem, ultra tres dictas ad judicium non trahatur, nec non Simmachi, & Pauli II. ac aliorum quorumcunque Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alienandis, ac Pii IV. de gratiis interesse Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentibus infra certum, tunc expressum tempus in eadem Camera registrandis, & in illius libris insinuandis: Ita quod Congregatio hujusmodi, aut alii ejus Ministri ad illas insinuan-

L 2 dum

dum non teneantur, & nihilominus præsentes literæ eandem firmitatem obtineant, ac si in dicta Camera infra tempus ad id præfixum insinuatæ, & registratæ fuissent. Nec non nostra, & Cameræ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non prædictæ Lateranensis, ac quarumvis aliarum Urbis Basilicarum, vel piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illarumque Capitulis, & Canonicis, ac aliis Superioribus, & personis, etiam Consistorialiter, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, ac aliis efficacissimis, & insolitis clausulis, in contrarium forsan quomodolibet concessis, approbatis, & confirmatis, ac innovatis. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, latissimè hac vice harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, & Apostolica auctoritate decernimus, quod quicunque de cætero perpetuis futuris temporibus in Sacrum Collegium dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium per nos, & Roma-

Romanos Pontifices Successores nostros cooptabuntur, si præsentes fuerint, statim, si verò à Curia absentes, post susceptionem Bireti rubei jura, quæ ratione Annuli Cardinalitii, post eorum obitum Cameræ Apostolicæ debebantur, prædictæ Congregationi, seu ab ea Deputatis realiter, & cum effectu persolvere teneantur.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, extinctionis, annullationis, donationis, concessionis, assignationis, declarationum, absolutionis, inhibitionis, decretorum, mandatorum, derogationis, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo decimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno secundo.

CON.

CONSTITUTIO URBANI OCTAVI

Confirmatio Bullæ Gregorii XV. de electione Romani Pontificis, & Cæremonialis continentis illius ritus.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romani Pontificis providentiam spectare dignoscitur, ut ea, quæ salubriter à Prædecessoribus suis, præsertim Sedis Apostolicæ, & universalis Ecclesiæ decori, & utilitati conducentia statuta sunt, firma, & inconcussa, quantum ex alto conceditur, perseverent.

Cum

Cum igitur formam in ejuſdem Pontificis electione ſervandam ſacrorum Conciliorum Decretis, & variis Apoſtolicis Conſtitutionibus præſcriptam felicis recordationis Gregorius Papa XV. Prædeceſſor noſter, Paſtorali ſolicitudine permotus, ut res tanti ponderis poſtulabat, perfectiùs dirigendam duxerit Conſtitutione deſuper edita, cujus tenor eſt talis.

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Æterni Patris Filius, Magiſter, & Legislator CHRISTUS Dominus, cujus omnis actio, noſtra eſt inſtructio, licèt portaret omnia verbo virtutis ſuæ, nec eſſet quicquam abſconditum ab oculis ejus, tamen priuſquam ad Apoſtolatus munus duodecim Apoſtolos eligeret, & nominaret, quod aliàs unquam feciſſe in ſcripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei: & antequam Beato Petro ovium ſuarum curam committeret, tertiùm repetita interrogatione, trinam extare æterni amoris ejus profeſſionem, nos ſcilicet erudiens quanta diligentia, cautione, & cura in omnium Paſtorum electione adniti debeamus, ut boni eligantur, & fideles; præſertim verò in Beati Petri Succeſſoris, qui orbis eſt lumen, Doctor Gentium, & Paſtor Paſtorum. Quapropter ſatìs etiam admonemur nihil eorum, quæ ad electionis Romani Pontificis negocium cautiùs, & meliùs tranſigendum conducunt, omitti debere: ſalus enim non unius membri, ſed totius corporis agitur, cùm de capite conſulitur. Igitur etſi diverſis felicis recordationis Romanorum

Ponti-

Pontificum decretis salubriter provisum est, ut ejus electio, ritè, & rectè peragatur, & in ea non caro, & sanguis, aut humana sapientia, quæ stultitia est apud Deum, dominetur, sed Spiritus Sancti gratia omnia dirigantur, & gubernentur: nihilominus, ut dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, experientia compertum est salubriori remedio locum non deesse.

Nos igitur, quos posuit Dominus, licèt nullis suffragantibus meritis, regere Ecclesiam suam, ne in extremo die prætermissi officii in re tanti momenti à nobis ratiò à districto Judice exigatur, quod multorum etiam votis, & postulationibus multùm expetitum est, Sancti Spiritus adspirante gratia, faciendum decrevimus; matura itaque cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione habita, de eorundem Fratrum consilio pariter, & assensu, ac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, decernimus, & declaramus in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse, quàm in Conclavi, & eo clauso, ac post celebratum in eo prima die Sacrosanctum Missæ Sacrificium, cui Cardinales interesse, & in eo communicare consueverunt, ac per secreta Schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præsentium, præterquam si omnes, & singuli Cardinales in Conclavi præsentes, nemine dissentiente, aliquibus ex eorundem Collegio Cardinalium committerent eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiæ Catholicæ providerent de Pastore: aut

nisi

nisi communiter ab omnibus, & singulis Cardinalibus, qui itidem in Conclavi præsentes erunt, nemine pariter dissentiente, quasi per inspirationem, nullo præcedente de persona speciali tractatu, per verbum Eligo, *intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce fieri non potuerit, expressum, fuerit celebrata.*

Numerum autem suffragiorum duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præsentium, ut electio per viam Scrutinii, aut Scrutinii, & Accessus valida sit, decernimus, & declaramus ita esse censendum, ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam sive Scrutinii, sive Scrutinii, & Accessus, sive compromissi via procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit: Electi tamen persona, si in Conclavi sit, debeat in numerum Cardinalium computari.

Rursus nemo per viam Scrutinii, seu Scrutinii, & Accessus habeatur pro electo, nisi publicatis omnibus suffragiis, & electi, si numerum tantummodo duorum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam Schedulis apertis.

At si contingat plures in Schedulis nominatos, duas tertias partes suffragiorum tulisse, in suffragiorum paritate neuter sit electus, in imparitate verò, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes etiam in uno suffragio excedat, electus censeatur.

Insuper in unoquoque Scrutinio, antequam Sche-

dula in Calicem mittatur, à quolibet Cardinale juramentum alta, & intelligibili voce fiat his verbis: TESTOR CHRISTUM DOMINUM, QUI ME JUDICATURUS EST, ME ELIGERE QUEM SECUNDUM DEUM JUDICO ELIGI DEBERE, QUOD IDEM IN ACCESSU PRÆSTABO. *Et hoc juramentum à nullo omittatur.*

Suffragiorum autem Schedulæ hujusmodi tam Scrutinii, quàm Accessus, ubi fieri potuerit, impressæ omnino esse debeant, ubi non potuerit, unius tantùm manu scriptæ sint, ita videlicet, ut tam impressæ, quàm ita scriptæ, ea omnia, quæ in Schedulis hujusmodi exprimi solent, contineant, præter sola nomina, seu denominationes eligentis, & electi, & infrascripta signa, quæ manu ejusdem eligentis omnia scribantur: & nomen quidem eligentis in prima parte Schedulæ, electi verò in sequenti, & rursus electi, quantùm fieri poterit, charactere alterato, ita ut cognosci non possit: eaque Schedulæ pars, in qua erit eligentis nomen, claudatur, ac sigillo ad hoc parato, ac secretè habito, non autem eo, quo quisque uti solet, obsignetur. Ut autem videri possit, ne qui alicui accessit, eidem in Scrutinio suffragium dederit, Schedulæ omnes duobus aliis signis in ultima parte signentur, numero nempe aliquo, & brevi dicto Sacræ Scripturæ, vel alio hujusmodi; quæ signa in utraque Schedula tam Scrutinii, quàm Accessus eadem sint.

Postea verò pars illa Schedulæ, ubi hæc signa erunt, etiam complicetur, & obsignetur, ne à Scrutatoribus

toribus videri possit, nisi postquam fuerit per Scrutinium, & Accessum electio perfecta, quo casu Schedulæ Accessus à Scrutatoribus ea parte, ubi duo prædicta sunt signa, aperiantur, iisque inspectis, & earum sigillis, aliæ Schedulæ cum iisdem signis notatæ, & in Scrutinio datæ reperiantur, ut videlicet an duo hæc signa, & sigillum eadem sint cognoscatur, & inde duo suffragia ab eodem Cardinali uni data non fuisse appareat.

At si inter Schedulas Scrutinii nulla reperietur iisdem signis notata, quibus Schedula Accessus signata erit, aut si quis eidem accesserit, quem in Scrutinio nominaverit, utroque casu suffragium Accessus nullum fit. Subscriptio autem, seu nomen eligentis resignari non possit, nisi contingat, ut sigillum, & alia duo prædicta signa sint eadem cum signis, & sigillo alicujus alterius Cardinalis, aut alia difficultate cogente.

Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo à Cardinalibus scribatur, quomodo in folio impresso, ubi in Conclavi notari suffragia solent. Præterea ut Secreto cautiùs consulatur, Schedulæ suffragiorum conficiantur, una, seu pluribus in Mensis, in media Cappella constitutis, ita à Cardinalibus remotis, & circumseptis, ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis verò ad Mensam accedere impeditus valetudine non poterit, is suffragium suum in loco suo secretè conficere debeat, & ad illud accipien-

dum ultimus Scrutatorum accedat. Et ut Accessus secretè etiam peragatur, Scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, statim antequam ad alios actus deveniatur, Cardinales Schedulam pro Accessu formatam prædictis in Mensis conficere, sicut in Scrutinio teneantur. Porro usus Schedularum pro Accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis in Scrutinio voluerit, ejus nomen scribet, qui verò noluerit, ac cognosci possit eum nulli accedere, in loco nominis scribat nemini.

Nulli autem tam in Schedula Scrutinii, quàm Accessus plures nominare liceat, alioquin suffragium, in quo plures fuerint nominati, nullum sit: accedere tamen uni ex nominatis à se in dicta Schedula, vel alii, dummodo aliquod aliud suffragium in eodem Scrutinio tulerit, non prohibeatur, & in numerum Cardinalium in Conclavi præsentium numeretur.

Neque in quolibet Scrutinio, nisi semel accedere liceat, neque per Accessum ab alterius nominatione, in Scrutinii Schedula facta, recedi, decernimus, & declaramus.

Insuper antequam Schedulæ, sive Scrutinii, sive Accessus à Scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentissimè palam numerentur, & si plures repertæ fuerint, quàm sint Cardinales in Conclavi præsentes, omnes comburantur, & iterum ad suffragia statim deveniatur.

Si quis autem aliquid ex supra expressis non ser-

servaverit, aut quomodocunque directè, vel indirectè in aliquo contravenerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat.

Præterea statuimus, & ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediverit ad Scrutinium venire, ad eum adire debeant tres Cardinales sorte ante Scrutinium, ut infra, ad hanc rem ex omnibus Cardinalibus per ultimum Diaconum extracti, cum capsula perforata, sed inani, & palam à Scrutatoribus clausa, cujus clavis super Altare remaneat, & Schedulam impressam illi deferre, ipseque illam, sicut alii Cardinales, prævio juramento suprascripto, secretè conficere teneatur, deinde in capsulam conjiciat, eaque per eosdem Cardinales relata, & aperta, in Calicem Schedula mittatur; Publicato deinde Scrutinio, si Accessus agendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis, in quibus nomina Cardinalium, & suffragiorum numerus notatur, à tribus Cardinalibus prædictis sumatur, & palam recognito numero suffragiorum, quæ quisque in Scrutinio tulerit, ad infirmum unà cum alia impressa Schedula pro Accessu parata, & cum eadem capsula ab iis deferatur. Infirmus verò alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque, & singula serventur, quæ de Scrutinii Schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna.

At si quis scribere valetudine impediatur, per alium prævio juramento ab eo, qui scribet, præstando,

de

de servando secreto, quod sub eadem excommunicationis pœna servari mandamus, scribere liberè possit.

Ad hæc Scrutatores, sicut & tres alii Cardinales, qui ad Infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus Cardinalibus præsentibus in Conclavi, nulla ordinis servata distinctione, sorte immediatè ante quodlibet Scrutinium per ultimum Diaconum extrahantur, & qui semel extracti fuerint, in vas iterum conjiciantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si Scrutatores, vel Recognitores aliquid secreti in exercendo officio suo cognoverint, & illud revelaverint, eandem latæ sententiæ excommunicationem incurrant. Finito Scrutinio, & Accessu, sive electio sequuta sit, sive non sit, tres alii Cardinales, sorte pariter, ut suprà extrahendi, Schedulas omnes recognoscere debeant; sigillo tamen, & duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quæ omnes, & singulæ Schedulæ, sive sequuta, sive non sequuta electione, postmodum statim palam comburantur.

Similiter ne electio protrahatur, statuimus, & ordinamus, ut sub simili excommunicationis pœna, eo ipso incurrenda, Scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam Missam, & prima quidem die tantùm post Cardinalium Sacram peractam Communionem, & pomeridiano tempore bora opportuna, post Hymnum Veni Creator Spiritus, *& Orationem de Spiritu Sancto: idemque, si compromissi via eligatur, observari debeat,*

atque ad Scrutinium, cùm tertiùm pulsata per loca solita Conclavis Campanula de more fuerit, omnes, & singuli Cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, sub eadem excommunicationis latæ sententiæ pœna.

Cardinales præterea omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, aliisque quibuscunque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum, seu Schedularum, aut aliis tam verbo, quàm scripto, aut aliis quomodocunque dandis, aut petendis, tam respectu inclusionis, quàm exclusionis, tam unius Personæ, quàm plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut hujusmodi, seu de suffragio dando, vel non dando, quæ omnia, & singula, si de facto intervenerint, etiam juramento adjecto, nulla, & irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri, aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatæ decernimus, & declaramus, contrafacientes, ex nunc excommunicationis pœna innodamus: Tractatus tamen pro electione habenda vetare non intelligimus.

Quod si electio hujusmodi alibi celebrata fuerit, quàm in Conclavi clauso, vel aliter, quàm per secreta Schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclavi præsentium in Scrutinio, seu Scrutinio, & Accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi, ab omnibus Cardinalibus similiter in Conclavi præsentibus, nemine dissentiente ini-

initi, & ita ut nemo seipsum elegerit: vel quasi per inspirationem, nullo præcedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præsentium in Conclavi, communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum Eligo *intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit, & invalida eo ipso, absque ulla declaratione, & ita electo nullum jus tribuat: quinimmo is non Apostolicus, sed Apostaticus sit, & habeatur, & tam ipse, quàm eligentes, ejusque fautores, & complices sententiam excommunicationis, & anathema, aliasque censuras, & pœnas invasoribus Sedis Apostolicæ à Sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis impositas, pariter ipso facto incurrant, à qua sicut ab alia quacunque in hac Constitutione imposita, & irrogata, seu infra imponenda, & irroganda pœna excommunicationis tam ipsi, quàm quilibet alius, sive Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, sive alia persona cujuscunque gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ, à nullo, neque etiam à Majori Pœnitentiario, cujuscunque facultatis vigore, præterquam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, & tam ipse, ejusque complices, & fautores, quàm alii quicunque, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales hujus Constitutionis in aliquo transgressores aliis gravissimis pœnis teneantur, futuri Pontificis canonicè intrantis arbitrio irrogandis.*

Postremò statuimus, & districtè præcipiendo mandamus, ut Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, *quæ-*

cunque Secretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare, & cavere omnino teneantur, cum intentio, & mens nostra sit electionis hujusmodi tam sanctum negocium si fiat per Scrutinium, seu Scrutinium, & Accessum, ut præfertur, secretissimè transigatur, ac proinde iisdem omnibus, & singulis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & eorum Sacro Collegio inhibemus, ne contra hæc vel horum aliquod statuere disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præsumant quovis prætextu, causa, vel exquisito colore sub eadem excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

Ut autem hujusmodi nostra Constitutio inviolabilius observetur, tres Cardinales, qui singulis diebus Congregationibus agendis præpositi sunt, & cum iis S. R. E. Camerarius illam in omnibus, & per omnia observari procurent, & faciant.

Volumus etiam, & decernimus censurarum, & excommunicationum prædictarum, & aliarum quarumcunque prætextu, & causa Cardinales à Summi Pontificis electione activa, & passiva excludi nullo modo posse, quas quidem censuras, & excommunicationes ad effectum hujusmodi electionis tantùm, illis aliàs in suo robore mansuris, suspendimus; decernentes easdem excommunicationes, & censuras eos solùm afficere, qui deliquerint, non autem alios, Conclavi durante, qui cum iis conversati fuerunt.

Cæterùm, etsi opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officii nostri debito, & rei, de qua agitur, gravitate, admonemus, hortamur, & in Domino obsecramus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ut attentè considerent personæ, quæ sustinent officium, & dignitatem, quàm Sacrum præterea, & quanti momenti sit opus, quod tractant, & nihil, quod se non deceat, nihil à re alienum committant, sed cogitent, quàm perniciosum futurum sit universæ Ecclesiæ CHRISTI Sanguine acquisitæ, si malè administretur, ac proinde exuant omnes mundanas curas, & induant solum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, memores nihil prodesse homini si universum Mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Denique animum advertant se in Conclavi clausos editissima in specula constitutos esse, & factos spectaculum Deo, & hominibus à Domino, cujus negocium gerunt, supplicii, vel gloriæ sempiternæ retributionem citissimè laturos.

Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papæ III. Prædecessoris nostri in Concilio Lateranensi edita, quæ incipit: Licet de vitanda, *& aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, & in Conciliis Generalibus promulgatis, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore juris clausis, quibus omnibus, & singulis, quatenus pariter opus sit, eorum omnium, & singulorum tenores, perinde, ac si ad verbum exprimerentur pro*

expres-

expressis, & insertis habentes, pro hac vice dumtaxat, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus quoque præsentes nostras coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis fieri solita, & deinde post Conclavis ingressum, & cùm quis ad Cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis similibus Constitutionibus legi, & juramentum super illius observatione præstari, & ita præcipimus, & mandamus.

Quibus Constitutionibus, & pœnis in eis contentis, nisi in superiùs expressis per hanc nostram derogare non intendimus, sed eas in sui roboris firmitate relinquere, sperantes etiam, Romanos Pontifices qui pro tempore eligentur canonicè, omni studio curaturos, ut quæ nostris hujusmodi, & in eis salubriter statuta sunt, inviolabiliter, ac etiam si opus fuerit per pœnarum ipsarum contra transgressores executionem observentur.

Denique volumus easdem præsentes in valvis Basilicarum Sancti Joannis Lateranensis, ac Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ per Cursores nostros affigi, & publicari, ac earum exempla ibidem affixa dimitti, & deinde omnes, & singulos Cardinales tam absentes, quàm præsentes, modernos, & qui pro tempore erunt, & alios quoscunque quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum afficere, & li-

gare, nullamque harum ignorantiam prætendere posse, ac si eis personaliter intimatæ forent præmissis, cæterisque contrariis quibuscunque non obstantibus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostrorum Statutorum, Decretorum, declarationum, mandatorum, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, obsecrationis, inhibitionis, derogationis, præcepti, & suspensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo, decimo septimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Et successivè idem Gregorius Prædecessor Cæremoniale ritus dictæ electionis continens de ejus mandato compositum confirmaverit, cujus tenor sequitur.

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem, quæ ad Ecclesiæ Catholicæ felix regimen salubriter à se statuuntur, ut quàm facillimè observentur, Pastorali solicitudine providere, & ea, per quæ à se decreta debitum sortiuntur effectum, stabilire. Siquidem postquam novam Constitutionem de Romani Pontificis electione, ob causas in ea expressas, Divina adspi-

rante gratia, edidimus; nec ejus usus, & observantia, veteri Rituali Ecclesiæ Romanæ ferè inutili ob eandem Constitutionem reddito, proprii Cæremonialis directione destitueretur; novum; prout sequitur, confici mandavimus. Quod cùm post nonnullorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, quibus negocium commisimus, diligens, ut res postulabat, adhibitum examen, confectum fuerit, & à nobis approbatum; ut illud cum omnibus, & singulis in eo contentis, inviolabiliter observetur, ex nostri Pastoralis officii debito, providendum censuimus. Tenor autem illius est, qui sequitur.

Romano Pontifice vita functo, Cardinales præstito in prima Congregatione juramento de observanda Constitutione Gregorii Papæ XV. de reformatione Conclavis, unà cum aliis Constitutionibus, quæ legi, & jurari in ea hactenus consueverunt, exequias pro ejus anima, juxta ritum hucusque observatum, per novem continuos dies facere debent, nisi fortè in illis novem diebus aliquod Festum ex præcipuis, & magnis incideret, propter cujus observantiam, exequias intermitti debere Cardinalibus videretur, hoc enim casu in numero quidem novem dierum, exequiarum intermissarum dies computentur: verùm impensa, quæ in omissis exequiis facienda esset, in pauperes Christi, juxta Pii IV. Constitutionem distribuenda est.

Qua etiam Constitutione, ut exequiarum impensis, quæ jam in immensum excreverant, modus, & finis

ali-

aliquis esset, cautum est, ne impensæ illorum novem dierum, decem ducatorum millium summam, computatis omnibus, præter regalia Populo Romano præstari solita, excederent, & ut earum impensarum distributio justè fieret, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, commissa fuit.

Exequiis defuncti Pontificis completis, & interim Conclavi opportuno præparato, Cardinales in Basilica Sancti Petri, vel alibi pro temporis, & loci opportunitate conveniunt, ubi per Decanum Sacri Collegii, vel eo impedito, per alium ex antiquioribus Cardinalibus Missa de Spiritu Sancto celebratur, & in fine per aliquem Prælatum, aut alium Virum doctum habetur Oratio, in qua monentur, ut sepositis omnibus privatis affectibus, solum Deum præ oculis habentes, Sanctam Romanam, & Universalem Ecclesiam de Pastore sufficienti, & idoneo providere, omni qua possunt brevitate, & diligentia curent, ad Apostolicarum Constitutionum, & Sacrorum Conciliorum præscriptum.

Re divina peracta, Clericus Cæremoniarum capit Crucem Papalem, & procedit, quem Cardinales sequuntur, Episcopi primùm, deinde Presbyteri, postremò Diaconi cum suis Cappis violaceis: Crucem præcedunt Familiares Cardinalium, & immediatè Cantores Hymnum Veni Creator Spiritus *cantantes, post Cardinales sequuntur Prælati, atque ita processionaliter procedentes, Conclave ingrediuntur, & cùm ad Cap-*

pellam

pellam pervenerint, Cardinalium Decanus apud Altare dicit Orationem Deus, qui corda Fidelium, *qua finita leguntur, & jurantur per Cardinales Constitutiones de Romani Pontificis electione, & unà cum eis Constitutio novissima Gregorii XV. Deinde Cardinales post sermonem habitum per Decanum, quos eos convenientibus verbis ad electionis negocium ritè, & rectè peragendum hortatur, ad cellas sorte inter eos juxta Constitutionem Pii IV. distributas, divertunt, & post prandium omnes rursus simul congregantur, & Officiales Conclavis, & alii præstant Sacro Collegio juramenta consueta.*

Cardinales autem ingressi Conclave non exeant, vespere reversuri, sed in ipso omnino permaneant. Ipsumque Conclave, post ter jussu Cardinalis Decani personatam Campanulam, videlicet prima vice circa primam horam noctis, secunda circa secundam, & tertiam circa tertiam, exclusis omnibus, qui in Conclavi remanere non debent, intus, & extra claudatur; & Claves Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerario, ac Magistro Cæremoniarum, & Prælatis Custodibus Conclavis juxta solitum assignentur.

Deinde accensis fanalibus tres Cardinales Capita Ordinum, & Camerarius, unà cum Magistro Cæremoniarum latebras, & angulos omnes Conclavis diligenter perquirunt, ne quis ex iis, qui esse in Conclavi prohibentur, intus remanserit. In Conclavi autem esse possant Familiares Cardinalium, & alii Officiales,

& Mi-

& Ministri Conclavis, qui in Constitutione Pii IV. recensentur, quibus adduntur duo alii, unus Famulus pro Magistris cæremoniarum, & alius pro Secretario Sacri Collegii, hac tamen conditione adjecta, ut Famulus Magistrorum cæremoniarum actu uni ex illis inserviat, & per sex menses ante, fuerit ejus continuus comensalis, quæ conditio in famulo Secretarii similiter exigitur; omnium autem istorum Conclavistarum, post prandium diei sequentis, fit recognitio, ne quis inter illos fortè esset ex iis, qui in Conclavi esse non possunt, quæ recognitio ut certiùs fiat, jubentur Conclavistæ omnes intrare Cappellam, & postea singillatim recensentur.

Clauso Conclavi servari debent omnia, quæ de colloquiis, literis, & cibis, & quæ de non ingredientibus Cardinalibus, aut iisdem, aut eorum familiaribus, postquàm ingressi sunt, exeuntibus, in Constitutionibus Pii IV. sancita sunt. Quo verò attinet ad vestes, non solùm, cùm ad electionem Cardinales procedunt, croceis uti debent, sed juxta vetus cæremoniale, cùm aliquid collegialiter agendum est.

Porro capitula, quæ ante electionem fieri solent à singulis Cardinalibus subscribenda, etiam ad favorem Conclavistarum fieri poterunt, vel ante ingressum Conclavis, vel post ingressum, dummodo per ea non retardetur, aut differatur ingressus, vel electio. Quoniam autem juxta Constitutionem Pii IV. Cardinales, qui saltem in Ordine Diaconatus constituti non sunt, ad ele-

electionem Romani Pontificis non admittuntur, inspiciendum erit, antequam ad electionis negocium procedatur, an aliqui ex Cardinalibus præsentibus ordine prædicto careant, nam si careant, à suffragio ferendo excludendi erunt, nisi Privilegio Pontificio muniti sint. De Cardinali autem, cui ante mortem Pontificis os fuit clausum, aliquando dubitatum est, verùm à Pio V. fuit hæc dubitatio sopita per ejus decretum editum die 26. *Januarii* 1571. *quo declaravit bujusmodi oris clausuram, cæremoniam quandam esse, ea de causa introductam, ut Cardinales, antequam in Consistoriis, & Congregationibus suffragium ferant, de modestia, quæ ab ipsis his, & aliis actibus adhiberi debet, quodammodo admoneantur, non autem pertinere ad præcipuam Cardinalium facultatem, quæ circa Summi Pontificis electionem versaretur; quæ declaratio Pii V. semper huc usque observata fuit.*

Quoniam autem ex Gregorianis Constitutionibus ad actum electionis sub pœna nullitatis devenire non possunt Patres, nisi clauso Conclavi: tres Cardinales, & Camerarius ejusdem Constitutionis Executores deputati providebunt, ut statim post clausum Conclave, diligens per aliquos fiat inquisitio super ipsa clausura, eaque in effectum reperta, curabunt, ut de ea publicum fiat documentum per Magistrum cæremoniarum rogandum, & post hujusmodi documentum, etiam si Conclave in totum, vel pro parte de facto apertum fuisse reperiatur, semper tamen clausum, & pro clauso censeri, & haberi

debet ad effectum validitatis electionis; donec de consensu duarum partium Cardinalium præsentium per secreta suffragia apertum esse declaretur. Hæc tamen declaratio, electioni, quæ ante ipsum facta fuerit, nullatenus præjudicare debet, neque ob ipsam declarationem, præcedens electio impugnari potest.

Mane sequenti post clausum præcedenti nocte Conclave, post solitum Campanulæ sonum, conveniunt Cardinales in eo præsentes, qui infirmitate non sunt impediti, ad Cappellam Paulinam, & ibi celebrata consueta Missa, & facta Cardinalium Communione, statim ad negocium electionis procedere debent, quod quidem hodie ex Gregoriana Constitutione uno tantùm ex tribus modis, sive formis peragendum est, alioquin electio nullitatis vitio subjaceat.

Primus modus est, qui quasi per inspirationem vocatur, quando scilicet Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto, aliquem unanimiter, & viva voce, Summum Pontificem proclamant; circa quem modum, ex Constitutione Gregoriana, infrascripta notari possunt.

Primùm, hæc forma electionis practicari potest solùm in Conclavi, & eo clauso. Secundò, debet fieri electio secundùm hanc formam ab omnibus, & singulis Cardinalibus in Conclavi præsentibus. Tertiò communiter, & nemine eorum dissentiente. Quartò, nullo præcedente de Persona speciali tractatu, & per verbum Eligo *intelligibili voce prolatum, aut scripto*

expressum, si voce non possit proferri; exemplum autem hujus potest esse hujusmodi. Si aliquis Patrum, clauso Conclavi, nullo, ut præfertur, præcedente speciali tractatu, diceret: Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute, & probitate Reverendissimi Domini Nostri, judicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, & ex nunc ego ipsum eligo in Papam. *Deinde hoc audito, si cæteri Patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo* Eligo *intelligibili voce prolato, aut si non potest in scripto expresso, eundem N. de quo nullus specialis tractatus præcessit, communiter elegerint, ipse N. esset canonicè electus, & verus Papa, secundùm hanc electionis formam, quæ dicitur per inspirationem, seu ut in Sacris Canonibus scriptum est, quasi per inspirationem.*

Secundus modus est per compromissum, quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiæ Catholicæ provideant de Pastore, cujus formæ Praxis potest esse hujusmodi.

Primò, omnes, & singuli Cardinales in Conclavi clauso præsentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, exempli gratia in hanc formam.

In Nomine Domini. Amen. Anno ab ejusdem, &c. mense, &c. die, &c. Nos Episcopi, Presbyteri, & Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales omnes, & singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. *& singillatim omnes nominentur Cardinales*, elegimus, & eligimus per viam procedere compromissi, & unanimiter, & concorditer, nemine discrepante, eligimus Compromissarios N. N. & N. Cardinales, &c. quibus damus plenariam facultatem, & potestatem providendi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ de Pastore sub hac forma, videlicet: *Hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum, & formam, secundùm quam compromissarii debebunt eligere, & secundùm quam electus debet censeri verus, & legitimus Papa, utpote si electi sint tres Compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, priùs proponere debeant Sacro Collegio Personam, vel Personas, ab ipsis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum; an verò absolutè debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam Personam, an verò sufficiat, quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his similia. His autem, vel aliis similibus expressis addi compromisso solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales potestatem Compromissarios habere eligendi, & postea subjunguntur hæc verba:* Et promittimus nos illum pro Romano Pon-

Pontifice habituros, quem DD. Compromissarii duxerint secundùm formam prædictam eligendum, vel alia ad formam Compromissariis præscriptam accommodata. *Secundò completo hujusmodi mandato Compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, & de electione facienda tractant, & solet inter eos præmitti protestatio, quòd per quamcunque prolationem verborum, suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expressè ponant. Et hæc protestatio videtur necessaria inter Compromissarios, ut verbis humanis, & reverentialibus inter se, sine præjudicio uti possint. Tertiò, facta per Compromissarios electione, secundùm formam eis præscriptam, & servatis iis, quæ Gregorius XV. in sua Constitutione jussit, electus per hujusmodi viam compromissi est canonicus, & verus Papa. Tertius modus, seu forma electionis Romani Pontificis, quæ vocatur per Scrutinium, vel per Scrutinium, & Accessum, cujus formæ ritus, secundùm Gregorianam Constitutionem, quæ vult non solùm Scrutinium fieri secretum, sed etiam Accessum, continet tres actiones, alteram, quæ ante Scrutinium, alteram, quæ Scrutinium; & tertiam, quæ post Scrutinium appellari potest.*

Ante Scrutinii actus sunt quinque, videlicet præparatio Schedularum Scrutinii, & Accessus; Extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum per sortem; Scriptio Schedularum Scrutinii; Earum complicatio, & obsignatio.

Sche-

Schedularum præparatio ad Magistros cæremoniarum pertinet, qui eas expressas, ubi fieri poterit, alioquin unius manuscriptas secundùm formam inferiùs describendam accipient, tam pro Scrutinio, quàm pro Accessu, & ponent in duobus discis, vulgò Bacili *nuncupatis, quos in mensa ante Altare collocabunt, ut inde possint Cardinales, cùm opus fuerit, Schedulas sumere.*


Forma autem Schedulæ Scrutinii, quoad ejus figuram attinet, erit altera parte longior, hoc est plus longa, quàm lata, longitudo ejus erit ferè palmi, latitudo autem dimidii palmi; quo verò ad contenta in ea, in anteriori ejus parte, quæ brevitatis gratia facies nominari potest, tria continere debet.

Primò, in superiori parte, secundùm ejus latitudinem duo hæc verba: Ego Card. *cum tanta ad invicem distantia, ut inter ipsa nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, & paulò inferiùs duos circulos parvos, ad loca singulorum indicanda.*

Secundò, in medio continere debet hæc verba: Eligo in Summum Pontificem Reverendiss. Dominum meum, Dominum Cardinalem.

Tertiò, in parte inferiori, aliquos duos parvulos circulos ad loca Sigillorum similiter demonstranda. Forma verò Schedulæ Accessus eadem prorsus est, quæ Scrutinii, nisi quòd in medio ejus loco ver-

borum : Eligo in Summum Pontificem Reverendissimum Dominum meum, Dominum Cardinalem, *ponuntur hæc verba* : Accedo Reverendissimo Domino meo, Domino Cardinali, *verùm faciliùs, quæ dicta fuit, præcipientur ex infrascriptis figuris, & exemplis*.



EXEM.

EXEMPLUM

Schedulæ Scrutinii ſcriptæ.

	Ego Card.	
	Eligo in Summum Pontificem Reverendiſs. D. meum D. Card.	
	18. Gloria in excelſis.	

EXEM.


EXEMPLUM FACIEI
Schedulæ Acceſſus.

	Ego Card.	
	Accedo Reverendiſſimo D. meo D. Card.	

In exteriori autem parte Schedularum tam Scrutinii, quàm Acceſſus, quæ tergum nominari poteſt, duo ſunt imprimendi limbi ex illis, quos ad ornatum librorum impreſſos adhibent, & vulgari vocabulo,

Fregj, *nuncupant*, *quorum primum circa sui medium continet hoc verbum*, Nomen, *impressum secundùm longitudinem ipsius limbi*; *alterum verò continet hoc verbum*, Signa, *similiter impressum*, *ut præcedens*; *Hi autem limbi excogitari ad obscurandum diaphanum paginarum*, *ne scilicet ad lumen Nomina*, *& Signa eligentium conspici possint*; *ubi verò impressoris copia non fuerit*, *limborum defectus lineis suppleri poterit*; *sed hæc fient clariora per infrapositam figuram tergi Schedularum Scrutinii*, *& Accessus*.

EXEMPLUM TERGI
Schedularum Scrutinii, & Accessus.



Secun-

Secundus actus antescrutinii est extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis Infirmorum, quæ extractio antequam ad Scrutinium procedatur, sorte facienda est, hoc modo. In uno Sacculo, aut Vase, publicè ponantur tot Schedulæ, vel si magis placet, Sphærulæ ligneæ palam numeratæ, quot sunt Cardinales præsentes in Conclavi cum eorum manibus; deinde per ultimum Diaconum extrahantur primò Scrutatores tres, & postea tres Deputati pro votis Infirmorum, qui brevitatis gratia Infirmarii appellari possunt, de quorum omnium officio inferiùs suo loco scribetur, quod si in extractione Scrutatorum, & Infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus suo loco dicetur, extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus prædictis satisfacere non possint, alii non impediti loco illorum extrahantur; peracta verò extractione, Schedulæ, seu Sphærulæ eorum, qui extracti fuerunt, in Sacculum, seu in Vas iterum conjiciantur.

Tertius actus antescrutinii est Schedularum Scrutinii scriptio, quæ fiet hoc modo. Ad duas, vel plures parvas mensas, quæ erunt cum atramento, & calamis paratæ in loco Cappellæ apto, ut qui scribunt conspici possint, quid verò scribitur non possit, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo à Decano, & ibi sedentes in Scabellis paratis, Schedulam quisque suam acceptam priùs ex disco, scribet hoc modo. Primò, in prima parte in spatio inter verba Ego Card. *scribet proprium Nomen; deinde in secunda parte Nomen illius, quem elegit, charactere*

tamen, quantum fieri poteſt, alterato, ut manus ſcribentis cognoſci non poſſit; & caveat ne plures in Schedula ſcribat, quia ſuffragium juxta Gregorianam Conſtitutionem eſſet nullum. In tertia verò parte Signa, hoc eſt numerum aliquem, & dictum aliquod Scripturæ, ſeu verbum, aut aliquid hujuſmodi, ut in exemplo pro faciliori intelligentia oculis ſubjecto videre eſt.

EXEM.

EXEMPLUM

Schedulæ Scrutinii ſcriptæ.

	Ego Bonifacius Card. Cajetanus	
	Eligo in Summum Pontificem Reverendiſs. Dominum meum Dominum Card. Baronium.	
	18. Gloria in excelſis.	

Quar-

Quartus actus antescrutinii est Schedularum complicatio, quæ ut expeditiùs perogi à Cardinalibus valeat, poterit à Cæremoniarum Magistris, cùm eas præparant, fieri in hunc, qui sequitur, modum. Binæ fient plicaturæ ex utraque parte cujusque Schedulæ, ita ut nomen eligentis, & Signa, cùm fuerint scripta, maneant tecta ex utraque parte à limbis; deinde quod reliquum est, ita complicetur, ut Schedula ferè ad latitudinem pollicis redigatur, prout ex complicata Schedula, quæ hìc exempli gratia ponitur, conspici potest.

Cæterùm Magistri Cæremoniarum Schedulas non complicatas, ut supra, sed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis ponent in discis, & Cardinales postquàm eas, ut supra, scripserint, eò usque solùm plicabunt, quò Nomen, & Signa eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cùm Schedulas, ut infra dicetur, obsignaverint.

Quintus, & postremus actus antescrutinii est Schedularum obsignatio, quæ ab unoquoque Cardinali facienda erit in tergo Schedularum, cum Sigillo ad hoc parato, in loco parvorum circulorum, ubi cera fuit posita. Porro Sigillum non debet esse solitum Cardinalis, sed aliud, & secretè habitum, & ita simplex, ut facilè notari possit, veluti si in Sigillo sculpantur; aut tres numeri, aut tres literæ, vel literæ, & numeri, vel una tantùm imago, & hæc de antescrutinio sufficiant. Cæterùm, quod attinet ad Cardinales infirmos, aut aliter impeditos inferiùs suo loco dicetur.

Sequi-

Sequitur secunda Actio, quæ nomine Scrutinii appellata fuit. Octo sunt hujus actionis actus, videlicet: Delatio Schedulæ, Juramenti præstatio, Positio Schedulæ in Calicem, Schedularum commixtio, earum numeratio, Scrutinii publicatio, Schedularum in filum insertio, earumque depositio seorsum.

Delatio Schedulæ, & duo sequentes actus, qui meliùs simul describuntur ob eorum connexitatem, hoc modo fient. Quilibet Cardinalis propriam Schedulam, postquam illam scripserit, obsignaverit, & complicaverit, duobus primis digitis sumet, ac elevata manu palam deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, & in quo est Calix magnus ad recipiendas Schedulas paratus, & patena coopertus, ibique genuflectens, aliquantulum orabit; deinde surgens, alta, & intelligibili voce jurabit in hanc formam, quæ in Tabella super Altari posita descripta habetur: Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me èligere, quem secundùm Deum judico eligi debere: & quod idem in Accessu præstabo. *Post hæc Schedulam in Patenam ponet, & per Patenam mittet in Calicem, quo facto inclinabit se ad Altare, & ad suum locum revertetur. Et hæc servanda erunt, si Cardinalis ad Altare pergere possit; nam si ob infirmam valetudinem non possit, & præsens in Cappella sit, ultimus Scrutator discum cum Schedulis ad eum deferet, ex quo Cardinalis infirmus unam accipiens, eam in loco secreto, ut supra dictum est, conficiet; deinde*

præ-

prævio juramento prædicto Schedulam obsignatam, & complicatam eidem Scrutatori tradet, qui eam palam deferet ad Altare, & sine oratione, & juramento in Patenam ponet, & per eam in Calicem mittet; quæ omnia observanda erunt per ultimum Scrutatorem erga eos Cardinales, qui in Cappella præsentes, ob valetudinem ad Altare pergere non potuerunt. Si verò aliqui Cardinales infirmi sint in suis Cellis, tres Cardinales Infirmarii, ut supra, extracti, ad eos accedent cum capsula altitudine unius palmi, in cujus superiori parte sit rima, seu foramen ejus magnitudinis, ut per illud Schedula complicata possit per suam latitudinem intus capsulam transmitti; quam capsulam antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut cæteri Cardinales possint eam inanem, & vacuam conspicere, deinde claudent, & Clavem ponent super Altare; deinde Infirmarii cum capsula clausa, & cum parvo disco tot Schedulas continente, quot sunt infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedent, & Infirmi acceptas ex disco Schedulas, secretè scribent, obsignabunt, & complicabunt, & prævio jam dicto juramento, in capsulam per rimam mittent; quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio deligendi, præstito de secreto servando in manibus Infirmariorum juramento, prædicta facient, atque hi advertere debent, quod non solùm juramenti vinculo teneantur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ, si contrafecerint, incurrent; His per-

actis,

actis Infirmarii ad Cappellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, & Schedulas in ea contentas palam numerabunt, & tot repertas, quot sunt Infirmi, ponent singillatim in Patenam, & per Patenam simul omnes in Calicem. Ne autem nimis in longum protrahatur Scrutinii actio, Infirmarii poterunt proprias Schedulas post Decanum conficere, & in Calicem ponere: deinde dum cæteri Cardinales Scrutinium agunt; ad Infirmos pergere ad accipienda eorum suffragia eo modo, quo proximè ante dictum est.

Quartus actus Scrutinii est Schedularum permixtio, quæ fiet per primum Scrutatorem, Calice, in quo ipsæ Schedulæ positæ fuerunt, Patena cooperto pluries agitato.

Quintus actus est numeratio Schedularum, quæ palam fiet per ultimum Scrutatorem, capiendo singillatim unamquamque Schedulam ex Calice, eamque ponendo in alium, qui ad hoc paratus sit, Calicem vacuum. Quòd si numerus Schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ sunt: & iterum, idest secunda vice ad suffragia statim est deveniendum. Si verò numerus Schedularum numero Cardinalium respondeat, prosequendi sunt alii actus Scrutinii.

Sextus actus est publicatio Scrutinii, quæ per Scrutatores, qui sedent ad Mensam ante Altare positum, fiet hoc modo. Primus Scrutator accipiet unam Schedulam, eamque intactis Sigillis explicabit, & viso in ea Schedula Electi nomine, eam tradet secundo Scru-

tatori, qui pariter, eodem Electi nomine perspecto, eandem tradet tertio, qui illam alta, & intelligibili voce perleget, ut omnes Cardinales præsentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium, notabit autem juxta nomen Cardinalis ex Schedula recitati: Idem faciendum erit de cæteris Schedulis in Calice positis, usque ad ultimam; quòd si in Scrutinii publicatione, inveniant Scrutatores duas Schedulas ita complicatas, ut ab uno tantùm datas fuisse appareat, siquidem unus, & idem in utraque electus fuerit, Schedulæ prædictæ habebuntur, & notabuntur pro uno suffragio; si verò diversis fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana statuitur de illa Schedula, in qua plures nominati sunt; Scrutinium tamen neutro casu vitiatur. Cæterùm suffragia prædicta, finita Scrutinii publicatione, poterunt à Patribus, juxta nomina Cardinalium, qui ea obtinuerunt, in unam summam redigi, vel in separato folio notari, hoc modo. Reverendiss. D. Cardinalis A. habet suffragia 20. & Reverendiss. D. Card. B. habet suffragia 15. *& sic de aliis, quod fit, ne Cardinales, cùm opus est, cogantur semper numerare suffragia, quæ juxta nomina Cardinalium notarunt.*

Septimus actus Scrutinii est Schedularum in filum Insertio, quæ, ut Schedulæ ipsæ cautiùs conservari possint, excogitata fuit. Hæc autem Insertio fiet per ultimum Scrutatorem, inserendo Schedulam unamquamque,

post-

postquam eam perlegerit, acu cum filo ad hunc effectum parato, in loco, ubi est verbum Eligo.

Octavus, & postremus Scrutinii actus est Depositio Schedularum seorsum, quæ similiter fiet per ultimum Scrutatorem, qui finita insertione omnium Schedularum in filum, capita fili nodo junget, & Schedulas omnes ita colligatas in alium Calicem vacuum, vel in Mensam seorsum ponet.

Sequitur tertia, & postrema actio, quæ Postscrutinium appellata fuit, cujus actus, si sequuta sit electio per Scrutinium, tres tantùm sunt, videlicet: Numeratio Schedularum, Recognitio suffragiorum, & Schedularum Combustio, de quibus inferiùs suis locis dicetur. Si verò per Scrutinium non sit sequuta electio, actus sunt septem, videlicet: Accessus, Sigillorum, & Signorum aperitio, eorum Annotatio, suffragiorum Examen, suffragiorum Scrutinii, vel Scrutinii, & Accessus numeratio, eorum Recognitio, & Schedularum Combustio.

Primus itaque actus est Accessus, qui immediatè post Scrutinium, hoc est, post depositas seorsum Scrutinii Schedulas fiet, nisi fortè in Scrutinio fuerit creatus Papa, tunc enim nullus fieri debet Accessus; In quo quidem Accessu eadem omnia servanda sunt à Cardinalibus, quæ dicta sunt servari debere in Scrutinio peragendo, tam in Schedularum scriptione, obsignatione, complicatione, delatione, & positione in Calicem, quàm in earum numeratione, publicatione, notatione,

ſuffragiorum, ac inſertione in filum, ac depoſitione ſeorſum, exceptis tamen infraſcriptis. Primò quòd Cardinales Schedulas pro Acceſſu ſumere debent ex diſco Schedularum Acceſſus. Secundò in Schedularum Acceſſus ſcriptione ſi Cardinalis nemini velit accedere, debet in media Schedulæ parte, loco nominis Cardinalis, qui ſcribendus eſſet, ſi ad eum fieret Acceſſus, ſcribere: Nemini: *Schedula autem Acceſſus ſcribi, & obſignari debet cum iiſdem ſigillis, & ſignis Schedulæ Scrutinii, ſub pœna nullitatis ſuffragii ipſius Acceſſus. Tertiò, quòd non poteſt Acceſſus fieri ad eum Cardinalem, qui in Scrutinio ſaltem unum ſuffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipſomet Cardinali fuit in Scrutinio nominatus. Quartò, quamvis in Acceſſu non liceat plures nominare, ſicut non licet in Scrutinio plures eligere, ſub pœna nullitatis ſuffragii, tam in Acceſſu, quàm in Scrutinio; nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter à ſe nominatis in Scrutinio, dummodo ei ab alio aliquod ſuffragium, non tamen nulliter, ut præfertur, in ipſo Scrutinio datum fuerit. Quintò, quòd in Acceſſu non præſtatur juramentum, de quo ſupra, quia in Scrutinio fuit jam præſtitum per illa verba:* Et quod idem in Acceſſu præſtabo. *Sextò denique Infirmarii deferre debent ad Infirmos Schedulas Acceſſus, & ſimul etiam unum folium impreſſum, in quo ſit notatus ſuffragiorum numerus palam recognitus, quæ quiſque Cardinalis in Scrutinio nominatus obtinuerit.*

Se-

Secundus, tertius, & quartus actus post scrutinii sunt sigillorum, & signorum aperitio, eorum annotatio, suffragiorum examen, qui tunc solùm locum habere possunt, quando sequuta est electio per Scrutinium, & Accessum: fieri autem debent hoc modo.

Primus Scrutator Schedulas Accessuum, quos obtinuit Electus, in ea parte solùm, quæ signa continet, aperiet, & inspectis diligenter earum sigillis, & signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas tradet secundo Scrutatori, & secundus eadem inspectione facta porriget tertio, qui alta, & intelligibili voce sigilla, & signa prædictarum Schedularum enunciabit, & annotabit in latere sinistro folii impressi, ad hunc effectum parati, sub verbis (sigilla, & signa Accessuum) quam etiam annotationem facient cæteri Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso.

Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, pro Accessuum prædictorum examine capiet Schedulas Scrutinii, & incipiens ab uno capite fili, in quo insertæ sunt, sigillum primæ ejus Schedulæ quæret in sigillis Accessuum notatis, ut supra, in folio impresso, & si illud in eo non invenerit, omissa prima Scrutinii Schedula, capiet secundam, ejusque sigillum similiter quæret; quod si etiam non invenerit, capiet tertiam, & deinde sequentes singillatim, donec sigillum alicujus earum inveniet; eoque invento, Scrutinii Schedulam in ea parte, ubi signa sunt, aperiet, & si non invenerit signa hujus

Schedulæ concordare cum signis Accessus, Schedulam illam omittet, & aliam capiet, sicut paulo ante de Schedulis non concordantibus in sigillo dictum est; si vero invenerit Signa concordare, ostendet illa secundo, & tertio Scrutatoribus, qui unà cum ipsis, post diligens examen super identitate sigillorum, & signorum ambarum Schedularum, Scrutinii scilicet, & Accessus, inspiciet, an idem, vel diversi in utraque Schedula sint nominati, & si idem nominatus sit, suffragium Accessus nullum censebitur; si verò diversi nominati sint, suffragium Accessus pro valido habebitur, & hoc casu tertius Scrutator sigillum, & signa Schedulæ Scrutinii, ac etiam nomen electi, qui in ea continetur alta, & intelligibili voce enunciabit, & annotabit in latere dextero prædicti folii impressi, sub verbis (sigilla, & signa Scrutinii respondentia Accessibus) notabit autem ea ex adverso Accessus concordantis in sigillo, & signis, quam annotationem cæteri quoque Cardinales, si voluerint, in simili folio impresso facient.

Sed hujusmodi actus, qui explicatione difficiliores sunt, quàm operatione, exemplo meliùs percipientur.

EXEM-

EXEMPLUM
FOLII IMPRESSI,
In quo Accessus, & Scrutinii Sigilla, ac Signa concordantia annotantur.

Sigilla, & Signa Accessuum.	*Sigilla, & Signa Scrutinii Accessibus respondentia.*	*Cardinales nominati in Scrutinio.*
A.C.D.43.Deus.		
B.R.F.32.Bonitas.	B.R.F.32.Bonitas.	Card.S.Eusebii.
R.G.I.50.Beatitudo.	R.G.I.50.Beatitudo.	Card.S.Sixti.
N.S.P.26.Gloria.		

Quòd si fortasse in ista inquisitione contingat duas, vel plures Schedulas Scrutinii reperiri cum eisdem Sigillis, & Signis alicujus Schedulæ Accessus, tunc si in earum aliqua, Electus nominatus fuerit, in alia verò

alius,

alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus similiter inspicientibus, Scrutinii Schedulas hujusmodi, & Schedulam Accessus, in ea etiam parte, in qua est Nomen eligentis, & accedentis, aperiet, ut constare possit, secundùm Gregorianam Constitutionem de validitate, & invaliditate Accessus; si verò in aliqua hujusmodi Schedularum Scrutinii, & Accessus concordantium, non sit nominatus electus, debent eæ Schedulæ omitti, & ad subsequentes procedendum erit.

Quintus actus post scrutinii est numeratio suffragiorum, vel Scrutinii solius, vel Scrutinii, & Accessus, quæ fiet per Scrutatores semper, sive sequuta sit electio, sive non, & si quidem sequuta non sit electio, ut sciatur, quod in eo Scrutinio, vel in Scrutinio, & Accessu non habetur Papa, si verò sequuta sit, ut constet de canonica Pontificis electione. Fiet autem hæc numeratio suffragiorum hoc modo. Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, sive in Scrutinio solo, sive in Scrutinio, & Accessu simul; & si invenerint nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo Scrutinio, sive Scrutinio, & Accessu; si verò invenerint aliquem ex nominatis, duas tantùm partes suffragiorum obtinuisse, aperient Electi Schedulam, etiam in ea parte, in qua est Nomen eligentis; & si quidem ex ea apparuerit, electum aliis suffragatum fuisse, electio ejus erit canonica; si verò consti-

terit sibi suffragium dedisse, ejus electio, ex dispositione Gregorianæ Constitutionis, nulla erit ob defectum unius suffragii. Si denique plures invenerint duas tertias partes suffragiorum obtinuisse, vel etiam ultra duas tertias, tunc in suffragiorum paritate nullus erit Electus; in imparitate verò, ille est canonicus Papa, qui superat alium etiam in suffragio.

Sextus actus postscrutinii est Recognitio, quæ per Recognitores, sive sequuta sit electio, sive non, fiet; inspiciendo tam Schedulas Scrutinii, & Accessus, quàm suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem constare possit, an Scrutatores sincerè, & fideliter muneri suo satisfecerint: Recognitores autem extrahentur sorte, ut Scrutatores, & Infirmarii, statim quidem post Scrutinium, si sequuta sit in eo electio; si verò non sit sequuta, post Scrutinium, & Accessum, cùm scilicet Scrutatores suum impleverint munus per numerationem suffragiorum, & hæc extractio fiet, sive sequuta sit electio in Scrutinio, & Accessu, sive non.

Septimus, & postremus actus postscrutinii est combustio omnium Schedularum, quæ semper, & palam per Scrutatores fiet, ac statim post recognitionem, sive electio sit sequuta, sive non. Et hæc omnia, quæ de Scrutinii ritibus sunt exposita, servanda erunt à Cardinalibus diligenter in omnibus Scrutiniis, sive fiant manè post Missam, sive vesperè post Hymnum Veni Creator Spiritus. *Atque hi sunt Ritus ex præscripto*

Constitutionis Gregorii Papæ XV. in electione Romani Pontificis observandi.

Motu itaque proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine omnia, & singula in prædicto Cæremoniali ordinata, & quomodolibet contenta, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis perpetuæ, & inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, eaque à Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, omnibusque, & singulis aliis, ad quos spectat, & spectare quomodolibet poterit in futurum, omnino observari præcipimus, & mandamus, ac Cæremoniale hujusmodi in totum, vel in parte mutari, vel ei aliquid addi prohibemus.

Decernentes sic, & non aliter per quoscunque, ac eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere. Non obstantibus omnibus illis, quæ in primodicta Constitutione voluimus non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, adjectionis, præcepti, mandati, prohibitionis, & decreti infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo primo quarto, Idus Martii Pontificatus nostri, anno secundo.

Nos, qui, ut rei tam arduæ negocium rite procederet, & absolveretur, intentis studiis desideravimus, cùm primùm (nullis licèt suffragantibus meritis) ad Summi Apostolatus apicem assumpti fuimus, animo revolventes, quantam in omnium animis Constitutionis exequutio, & Cæremonialis prædictorum usus approbationem excitarit, ut Constitutio, & Cæremoniale prædicta nostra etiam confirmatione roborata, inviolabiliter semper observentur providere cupientes, ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu, Constitutionem, & Cæremoniale prædicta, cum omnibus, & singulis in eis, & eorum quolibet contentis clausulis, & decretis, hac nostrà perpetuò valitura Constitutione, Apostolica auctoritate perpetuò confirmamus, & approbamus, eaque etiam perpetuò in omnibus futuris Romani Pontificis electionibus firmiter, & inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus, ac derogationem in eadem Constitutione dicti Gregorii Prædecessoris insertam semper vigere, suamque vim perpetuis futuris temporibus obtinere decernimus.

Non obſtantibus, quatenus opus ſit, ea in parte, qua præſentibus adverſentur recolendæ memoriæ Alexandri Papæ III. ſimiliter Prædeceſſoris noſtri in Lateranenſi, quæ incipit *Licet de vitanda*, & quibuſcunque aliis etiam in Univerſalibus Conciliis editis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, & Conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac omnibus illis, quæ dictus Gregorius Prædeceſſor in Conſtitutione, & Cæremonialis confirmatione prædictis voluit non obſtare; quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorunque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu alia quævis expreſſio ad hoc ſervanda foret, omnium, & ſingulorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis quoad reliqua omnia, quæ Conſtitutioni dicti Gregorii, & Cæremoniali prædictis, & huic noſtro præcepto, mandato, & decreto non ſunt repugnantia, in ſuo robore permanſuris harum ſerie de ſimili plenitudine poteſtatis derogamus, & derogatum eſſe volumus, & hanc noſtram derogationem ſuum pariter effectum perpetuò conſequi jubemus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, præcepti, mandati, decreti, & derogationis, voluntatis, & juſſionis infringere, vel eis auſu temerario con-

traire,

traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimoquinto, quinto Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

Ego URBANUS Catholicæ Ecclesiæ Episc.

Ego Franciscus Maria Episcopus Ostien. S. R. E. Card. à Monte promitto, voveo, & juro.

Ego Octavius Episcopus Portuen. S.R.E. Card. Bandinus promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Baptista Episcopus Albanen. S.R.E. Card. Detus promitto, voveo, & juro.

Ego B. Episcopus Sabinen. Card. Bevilacqua promitto, voveo, & juro.

Ego A. Episcopus Prænestinus Card. Perettus promitto, voveo, & juro.

Ego Dominicus Card. Gymnasius tit. S. Laurentii in Lucina promitto, voveo, & juro.

Ego C. Card. Madrucius tit. S. Cæsarei promitto, voveo, & juro.

Ego Scipio tit. S. Chrysogoni Card. Burghesius Major Pœnitentiarius promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Garsia tit. SS. Quatuor Coronatorum Card. Millinus promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Marcellus tit. SS. Quirici, & Julitæ Card. Lantes promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Bapt. tit. Sanctæ Cæciliæ Card. **Lenius** *promitto, voveo, & juro.*

Ego D. tit. S. Martini in Montibus Card. Rivarola promitto, voveo, & juro.

Ego Fr. Augustinus S. R. E. Card. tit. S. Mariæ in Aracœli promitto, voveo, & juro.

Ego Gaspar tit. S. Crucis in Jerusalem Card. Borgia promitto, voveo., & juro.

Ego Fr. Felix tit. S. Anastasiæ Card. Asculanus promitto, voveo, & juro.

Ego Gabriel tit S. Bartholomæi in Insula Card. de Trejo promitto, voveo, & juro.

Ego Jac. tit. Sanctæ Sabinæ Card. Sabellus promitto voveo, & juro.

Ego M. tit S. Mariæ de Pace Card. Klefelius promitto, voveo, & juro.

Ego S. Card. S. Susannæ S. R. E. Bibliotecharius promitto, voveo, & juro,

Ego Guido tit S. Mariæ de Populo Card. Bentivolus promitto, voveo, & juro.

Ego F. Desiderius tit. SS. Duodecim Apostolorum Card. de Cremona promitto, voveo, & juro.

Ego L. tit S. Laurentii in Damaso Card. Ludovis. S. R. E. Vice-Cancell. & SS. D. N. Summator prom. vov. & juro.

Ego Cosmus tit. S. Pancratii Card. de Torres promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego F. A. Card. S. Honuphrii promitto, voveo, & juro,

Ego Laurentius tit. S. Mariæ in Aquiro S. R. E. Card. Magalottus promitto, voveo, & juro.

Ego Aloysius tit. S. Pudentianæ S.R.E. Card. Cajetanus promitto, voveo, & juro.

Ego Dionysius tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Card. de Marquemont prom. voveo, & juro.

Ego Laudivius Card. S. Sixti prom. voveo, & juro.

Ego Jo. Dominicus Spinula Card. S. Clementis prom. voveo, & juro.

Ego Jacobus Cavalerius S. R. E. Card. S. Eusebii prom. voveo, & juro.

Ego C. S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. Pius prom. voveo, & juro.

Ego M. S. Eustachii Diaconus Card. de Sabaudia prom. voveo, & juro.

Ego Alexander S. Mariæ in Cosmedin Diac. Card. Ursinus prom. voveo, & juro.

Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Boncompagnus prom. voveo, & juro.

Ego Hippolytus S. Mariæ Novæ Diac. Card. Aldobrandinus S. R. E. Camerarius prom. voveo, & juro.

Ego P. Maria Burghesius Diac. Card. S. Georgii prom. voveo, & juro.

Ego L. SS. Viti, & Modesti Diac. Card. Biscia prom. voveo, & juro.

CON.

CONSTITUTIO INNOCENTII X.

Conſtitutio ſuper Titulo, & Inſignibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

MILITANTIS Eccleſiæ regimini, meritis licèt imparibus, per abundantiam Divinæ Gratiæ præpoſiti, inter graviſſimas, multiplicesſque Apoſtolicæ ſervitutis curas, quibus aſſiduè premimur, in eam peculiari ſtudio incumbimus, ut inter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Car-

Cardinales; quos tamquam Reipublicæ Christianæ cardines, & clarissima Catholicæ Ecclesiæ lumina omnium virtutum splendore cæteris prælucere decet, fraterna servetur æqualitas, unde sinceræ charitatis affectu sese invicem prosequantur, & dimissa omnium secularium rerum cura, nonnisi pro communi ejusdem Ecclesiæ bono, ac Omnipotentis Dei gloria, vigeat inter eos laudabilis æmulatio.

Hodie siquidem in Consistorio nostro secreto dilectus Filius Noster Aloysius tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Capponius nuncupatus, Decretum per Venerabiles Fratres Nostros ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Congregationis Cæremoniarum præpositos emanatum, nobis retulit tenoris subsequentis, videlicet: *Sacra Congregatio Cæremoniarum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, in qua interfuerunt Reverendissimi Domini Aloysius tituli Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Capponius, Franciscus tituli Sancti Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis Barberinus, Bernardinus tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Spada, Federicus tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Cornelius, Jo: Dominicus tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis Spinula, Franciscus Maria Sanctorum Duodecim Apostolorum Presbyter Cardinalis Brancatius, Franciscus tituli Sancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Montaltus, Carolus Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Medices,*

Hieronymus S. Eustachii Diaconus Cardinalis Columna, Raynaldus S. Mariæ novæ Diaconus Cardinalis Estensis, censuit enixè Sanctissimo Domino Nostro supplicandum tamquam pro re maxima congrua, ut directè præcipiat Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam quacunque Natalium, seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativa insignitis, quod solo nomine Cardinalis, absque ullo secularis dignitatis additamento contenti, non aliis Titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quàm Eminentissimi, & Reverendissimi, necnon Eminentiæ Reverendissimæ, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus. Insuper, ut Sanctissimus Dominus Noster dignetur mandare, ut omnes Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales supra recensiti, ad unitatem ordinis conservandam, jubeant è propriis Sigillis, & Insignibus quibuscunque, vulgo Armis nuncupatis, amoveri Coronas, Signa, ac omnes notas seculares, præter eas, quibus intrà Scutum Armorum eorum Familiæ, tamquam de essentia, & integritate eorundem Armorum utuntur; & ut in posterum ab illorum usu abstineant, solo pileo de pretioso Christi Sanguine rubente, insigniti, ac decorati; ac ulteriùs Sanctissimus Dominus Noster inhibeat sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis arbitrii sui pœnis Sculptoribus, Pictoribus, ac aliis quibuscunque, ne prædictas notas seculares in Sigillis, & Armis, aliisque Insignibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium

sculpere, ac pingere, aut sculpi, vel pingi mandare studeant.

Quod quidem Decretum prædictus Aloysius Cardinalis retulit supradictam Congregationem censuisse, etiam nomine totius Sacri Collegii in præsenti Consistorio nostro referri, ut non solùm illud comprobare, verùm etiam pro ipsius usu, & observantia inviolabili literas Apostolicas sub plumbo expediri jubere dignaretur, quas postea Cardinales jam promoti, qui in Urbe sunt, infra decem dies; qui extra illam, & in Italia degunt, infra mensem; qui ultra montes, infra quatuor menses proximos jurare teneantur. Qui verò imposterum promovebuntur, si præsentes fuerint, in ipsa Pilei rubei receptione, si absentes, in ipsa Bireti impositione ad Bullæ istius usum, prout de aliis jam emanatis fieri solet, juramento se adstringat. Qua relatione nobis facta omnes Venerabiles Fratres nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in prædicto Consistorio præsentes præviis singulorum suffragiis, unanimes, uno ore, & nemine prorsus discrepante, nobis humiliter supplicarunt, ut Decretum prædictum, & omnia quæcunque superiùs relata, Apostolica auctoritate confirmare vellemus, literasque sub plumbo desuper expediri mandamus.

Nos igitur eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum, quorum ope, prudentia, & consilio in rebus gerendis, gravibusque injunctis nobis desuper

Pastoralis officii oneribus indesinenter sublevamur, petitionem hujusmodi æquam, & rationi consentaneam, ac Sacro eorundem Cardinalium Collegio decoram censentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, de unanimi eorundem Fratrum Consilio pariter, & assensu Decretum præinsertum cum omnibus, & singulis, ut supra, relatis, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis inviolabilis Apostolicæ firmitatis vim, & robur adjicimus, omnesque, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, vel censeri possint, plenissimè supplemus, ac illa à prædictis Cardinalibus nunc, & pro tempore existentibus, aliisque prædictis, & cæteris, ad quos spectat, & spectabit quomodolibet in futurum sub pœnis in eodem Decreto contentis inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus. Propterea decernimus de cætero in quibuscunque literis Apostolicis, concessionibus, indultis, & gratiis etiam motu, scientia, deliberatione, & Potestatis plenitudine paribus, etiam cum clausula, *quorum tenores*, ac cum quibuscunque aliis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac etiam per viam legis, aut indulti generalis, etiam consistorialiter, & alias quomodo libet, sub quibuscunque tenoribus, & formis, per nos, & Romanos Pontifices Successores nostros con-

concedendis, vel à nobis, aut illis emanandis numquam censeri præsenti Constitutioni derogatum, nec illi in aliquo præjudicatum, nisi fuerit expressè, & dispositivè illi, toto ejus tenore relato, derogatum;

Decernentes præsentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quopiam, quantumvis substantiali defectu notari, impugnari, seu redargui, vel adversùs illas aperitionis oris reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodvis juris, facti, seu gratiæ remedium impetrari, seu etiam, motu simili concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed easdem præsentes semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere.

Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos; & quosvis alios quavis auctoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, irritumque, & inane quidquid contra præmissa, eorumque singula à quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus

editis.

editis, Cancellariæ Apoſtolicæ regulis, & præſertim, quatenus opus foret, illa de non tollendo jure quæſito; privilegiis quoque, & indultis etiam Apoſtolicis cuicunque conceſſis, & innovatis, ac exequutioni demandandis, Statutiſque etiam juratis tam ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegii, quàm cujuſcunque Regni, Provinciæ, & Nationis, ac etiam conſuetudinibus, uſibus, & ſtylis, quantumlibet inveteratis, & longævis, etiam immemorabilibus, cæteriſque in contrarium quomodolibet facientibus; Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores, etiam majores, & veriores hic pro expreſſis, & de verbo ad verbum inſertis habentes, harum ſerie expreſsè, & pleniſſimè derogamus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, approbationis, adjectionis, ſupplicationis, præcepti, mandati, decreti, & derogationis infringere, vel eis auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, quartodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno primo.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego

Ego Marcell. Episc. Ostien. Card. Lantes.
Ego Francisc. Card. S. Marcelli Episc. Sabinen.
Ego Julius Episc. Tuscul. Card. Roma.
Ego Episcopus Prænest. Card. della Cueva.
Ego Carolus Cardinalis Medices.
Ego A. Card. Capponus.
Ego F. Card. Barberinus tit. Sancti Laurentii in Damaso.
Fr. Antonius Card. S. Honuphrii tit. S. Mariæ Transtyberim.
Ego B. tit. S. Petri ad Vincula Card. Spada.
Ego Federicus tit. S. Marci Card. Cornelius.
Ego Julius tit. S. Susannæ Card. Sacchettus.
Ego Dominicus tit. S. Cæciliæ Card. S. Cæciliæ.
Ego M. Card. Ginnettus tit. S. Mariæ Angelorum.
Ego Aug. Card. Albornotius tit. S. P. Montis Aurei.
Ego Cyriacus tit. S. Salvatoris in Lauro Card. Roccius.
Ego Jo. B. Card. Pallottus tit. S. Silvestri in Capite.
Ego Alexander Card. Bichius tit. S. Sabinæ.
Ego Ildericus tit. S. Anastasiæ Card. Carpineus.
Ego M. Ant. Card. Franciottus tit. S. Mariæ de Pace.
Ego F. Maria Card. Macchiavellus tit. SS. Joannis & Pauli.
Ego P. D. tit. S. Marcelli Card. Cæsius.
Ego F. Vincentius Card. S. Clementis.
Ego Franciscus Perettus tit. S. Hieronymi Illyricorum Card. Montaltus.

Ego

Ego Jo: Jacobus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Card. Panzirolus.

Ego Gaspar tit. S. Pancratii Card. Matthæjus.

Ego Hieronymus tit. S. Eusebii Card. Grimaldus.

Ego M. tit. S. Alexii Card. Theodolus.

Ego F. tit. S. Mariæ in Via Card. Rapacciolus.

Ego A. tit. SS. Quirici, & Julitæ Card. Giorius.

Ego Joannes tit. S. Balbinæ Card. de Lugo.

Ego Antonius S. Mariæ in Via lata Diaconus Card. Barberinus.

Ego Hieronymus S. Eustachii Diaconus Card. Columna.

Ego Theodorus S. Angeli Diaconus Card. Trivultius.

Ego Virginius S. M. in Cosmedin Diaconus Card. Ursinus.

Ego Rainaldus Diaconus S. Nicolai in Carcere Card. Estensis.

Ego Vincentius Diaconus S. Mariæ in Porticu Card. Costagutus.

Ego Paulus Æmilius Diac. S. Mariæ in Aquiro Card. Rondininus.

Ego Joannes Carolus Cardinalis Medices.

Ego Camillus Diac. S. Mariæ in Domnica Card. Pamphilius.

CON-

CONSTITUTIO ALEXANDRI VII.

De Bonis Ecclesiæ non alienandis.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

INter cæteras animi ſolicitudines, quibus in administratione Paſtoralis officii nobis Divina Providentia commiſſi aſſiduè premimur, ea vehementer urget, quæ Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ejuſque Status, etiam temporalis, conſervationem concernit. Hac ideo ratione, licèt plurium Sum-

morum Pontificum Prædecessorum nostrorum decreta, & literæ providè, ac sanctè conditæ fuerint, præsertim recolendæ memoriæ Pii V. sub datum quarto Kalendas Aprilis anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, ejus Pontificatus secundo, videlicet:

Pius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti cura regiminis Universalis Ecclesiæ, cui Auctore Domino præsidemus, ut Civitates, Terra, Oppida, & Loca, nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus mediatè, & immediatè subjecta, perpetuò in jure, dominio, & proprietate, ac possessione dictæ Sedis conserventur.

Sanè licèt nonnulli Romani Pontifices Prædecessores nostri per eorum Constitutiones rerum Ecclesiasticarum alienationem prohibuerint, & jam factas revocaverint, & annullaverint, nihilominus cùm retroactis temporibus nonnulli nimiùm ambitiosi, & dominandi cupidi sub variis prætextibus, coloribus, & causis, sæpe etiam falsis, quod non sinè maximo animi nostri mœrore referimus, aliquibus Romanis Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus suis conati sint ostendere, & persuadere magis utile, & expediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi prædictæ fore, si aliquæ Civitates, Terræ, Oppida, Castra, Arces, & Loca ad jus, & proprietatem ejusdem Sedis pertinentia, in Feudum, Gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem,

seu

seu ad vitam, aut aliàs in longum tempus concederentur, vel etiam ex eo, quod in Feudum data, aut quovis alio titulo hujusmodi alienata fuerint, & propterea tamquam ad Sedem prædictam devoluta, vel devolvenda posse, & debere de jure iterum infeudari, & alienari, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem non solùm Patrimonii, sed etiam æstimationis recepisse dignoscitur.

Hinc est, quod nos considerantes omnium Civitatum, & Locorum prædictorum singularem Fidem, & promptam devotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valde utilem, & salutarem fuisse, & esse, ac volentes non solùm alienationis hujusmodi, quas tempore nostro omnino exulare intendimus, de medio tollere, & quod nobis licere non patimur, nostris Successoribus indicamus, quos non immemores fore speramus ante Domini Nostri JESU CHRISTI in examine diei magni adventus Tribunal, villicationis nostræ rationem reddituros Nos esse; sed ut omnis alienationum hujusmodi fiendarum occasio penitus aboleatur, quantum cum Deo possumus, per ampliùs providere, Constitutionibus Prædecessorum nostrorum hujusmodi etiam inhærendo, illasque innovando, Motu proprio, & ex certa nostra scientia non ad alicujus super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed ex mera animi nostri deliberatione, & de Apostolicæ Potestatis plenitudine, habita etiam super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Car-

dinalibus in Consistorio Secreto consultatione matura; de eorum consilio, & unanimi consensu, qui etiam juraverunt præsenti Constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra tenorem præsentium attentantibus consentire, & absolutiones à juramento hujusmodi non petere, nec acceptare, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, decernimus, & declaramus Civitates, & Loca prædicta, etiam hactenus in Feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consueta, ad Nos, & Sedem prædictam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda absque alia ulteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi, & Cameræ Apostolicæ incorporata, ac ad jus, & proprietatem, & dominium pristinum, ad possessionem rediisse censeri, perinde ac si per quadraginta annos, & ultra Civitates, & Loca prædicta à Nobis, & Sede prædicta immediatè possessa, & nunquam in Feudum, aut alium titulum concessa fuissent, statuimusque, & decernimus, quod omnes, & singulæ tam Communitates, & Universitates, quàm Cives, & incolæ Civitatum, Terrarum, & Locorum prædictorum, aliæque quæcunque Personæ tam Ecclesiasticæ, quàm Seculares cujusvis dignitatis, & ordinis, etiam Episcopalis, vel majoris existentes, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, tam publicè in consiliis Civitatum, & Locorum prædictorum, quàm privatim alibi in quibusvis Locis, etiam Civitatum, & Terrarum earundem Gubernatores, aut Sedis Apostoli-

stolicæ Legati, vel Pro-Legati existant, tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de infeudationibus, aut alienationibus de Civitatibus, & Locis prædictis, immediatè ad Nos, & Sedem prædictam spectantibus, & pertinentibus, etiam devolutis, etiam in Feudum communiter dari solitis, etiam ex causa permutationis; vel sub annuo censu, vel canone, aut aliàs quomodolibet etiam contemplatione meritorum erga Sedem prædictam, aut sub prætextu necessitatis, vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis à Nobis, & Sede prædicta quibusvis personis cujusvis dignitatis, status, gradus, etiam Nobis, & Successoribus nostris secundùm carnem conjunctis, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aut quavis alia temporali, vel Ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores, seu quemvis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum, vel longum tempus, etiam Sedis Apostolicæ beneplacitum Civitatum, & Locorum prædictorum, ac propterea de eligendis Oratoribus ad Nos, & Successores nostros super præmissis, vel illorum occasione mittendis, proponentes tam ipsi, quàm Oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quascunque alienationes hujusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti per Se, vel alium, seu alios insinuantes, & suadentes, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua, nisi ab ipso Pontifice, præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, & insuper Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sedis Apostolicæ prædictæ rebelles etiam

in pri-

in primo capite læſæ Majeſtatis, & Proditores Civitatum, & Locorum prædictorum, ac bona eorum Fiſco Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſo jure devoluta, & incorporata ſint, & eſſe cenſeantur, omnibuſque Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis per eos quomodolibet obtentis Beneficiis Eccleſiaſticis, eo ipſo privati exiſtant, neque ad Civitates, & Loca prædicta ullo unquam tempore remitti poſſint, & ſi aliquando eos reintegrare contigerit, nihilominus infames remaneant, illiſque bonorum, & dignitatum portæ perpetuò claudantur: & quoniam intelleximus aliquos etiam Cardinales, Civitates, Terras, Oppida, Caſtra, Arces, & Loca ad vitam, ſeu tertiam, vel aliam generationem, aut aliàs à dicta Sede, etiam ex cauſa oneroſa obtinere, habere, & poſſidere, cum facultate faciendi in illis melioramenta, ita quòd ab eis amoveri non poſſint, niſi reſtitutis ſibi priùs pecuniis in melioramento hujuſmodi expoſitis, omnes, & ſingulas facultates faciendi melioramenta prædicta quibuſvis Perſonis, etiam Cardinalibus per eoſdem Prædeceſſores noſtros, aut alios ad id facultatem habentes quomodolibet conceſſas harum ſerie revocamus, & annullamus, & nemini deinceps ſuffragari poſſe, neque debere: ac cuicumque facultatem faciendi hujuſmodi melioramenta habenti illa etiam pro munitione, & tuitione; niſi ex cauſa neceſſariæ conſervationis Locorum eorundem facta fuerint, pòſt publicationem præſentium facere omnino interdicimus, & prohibemus, & ſi ſecus à quoquam factum, attentatumve

fuerit

fuerit melioramenta quæcunque per eos contra tenorem præsentium facta Locis ipsis cedere, & Cameram ad illorum satisfactionem minimè teneri, & obligatam esse volumus, & declaramus; Decernentes præsentes literas sub quibusvis revocationibus, cessationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tempore quomodolibet factis minimè comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, & denuò concessas esse, & censeri debere, irritum quoque, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatum, & Locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Sic igitur devotionis, ac fidei constantia Civitatum, & Locorum prædictorum erga Nos, & Successores nostros, & eamdem Romanam Ecclesiam perseveret, ut meritò integritatis Virtus majora Beneficia ab eadem Sede consequi mereatur.

Volumus autem, quod sicuti omnes, & singuli Cardinales præsentem Constitutionem hujusmodi, quantum in eis erit, observare, illique non contravenire, nec Pontificibus contra facientibus consentire, aut ab-

solutionem à juramento prædicto non petere, nec oblatam, aut concessam acceptare in Consistorio nostro secreto promiserunt, & jurarunt, idem per absentes Cardinales à Consistorio in habitatione, & à Romana Curia, ut quandocunque ad eandem Curiam se contulerint, ac per futuros pro tempore Cardinales promitti in assumptione Pilei, & jurari debeat, ac promissionem, & juramentum hujusmodi in formula juramenti per eosdem Cardinales præstari soliti adjungi, & inseri debere, ac contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ juris, & facti eo ipso incurrere decernimus. Præterea, quod ipsi Cardinales, occurrente Apostolicæ Sedis vacatione in Conclavi, quando de observandis literis Julii Secundi Prædecessoris nostri super electione Romani Pontificis, & aliis Constitutionibus juramentum præstare solent, etiam de inviolabiliter observanda præsenti Constitutione nostra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & postmodum idem ad Summi Pontificatus fastigium assumptus, post ejus assumptionem hoc ipsum promittere, & jurare, & deinde post Coronationem suam promissionem, & juramentum hujusmodi per literas suas speciales harum confirmatorias reiterare debeat, quod si illud à Pontifice, quod credendum non est, recusabitur, aut differetur, tam dicti Cardinales in primo Consistorio secreto, & præcipuè eorum Decanus, & Capita Ordinum apud eum omni cum instantia, & instantissimè pro præsentium observatione petere, & ro-

gare,

gare, & obtestari non cessent, idque ut omnino efficiat, diligentissimè curare studeant, statuimus, & ordinamus; Quodque præsentes literæ in libellum redigantur, & post prædicti Julii literas, quæ in dicto Conclavi legi solent, inter alias Constitutiones nostras adjungantur, & etiam in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ cum aliis extravagantibus nostris describantur, & ad valvas Basilicæ Beati Petri Principis Apostolorum, & in Cancellaria nostra Apostolica, ac Acie Campi Floræ publicentur: Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, decernimus etiam, & declaramus, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii subscriptis, & Sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, revocationis, decreti, statuti, & interdicti, prohibitionis, ordinationis, & voluntatis infringere, eique ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, quarto Kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno secundo.

Quæ ab ejus etiam Successoribus Romanis Pon-

tificibus fuerunt approbatæ, & confirmatæ, & præsertim ab Innocentio Nono felic. recordationis cum declaratione, & extensione in ejus literis, pridie nonas Novembris millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus anno primo, inserta sequentis tenoris, videlicet:

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Quæ ab hac Sancta Sede, &c.

Nihilominus, quia nonnullæ pro varietate casuum contingentium successivis temporibus excitatæ fuerunt dubitationes, ac impropriæ forsan subsequutæ interpretationes, propterea, ut hæ quoque cessent, & removeantur, congruum fore duximus easdem literas in præsentia comprobare, innovare, & confirmare, ac verum illarum sensum exponere, & quatenus opus sit, de novo decernere.

Hac igitur nostra perpetuò valitura Constitutione, motu proprio, non ad alicujus supplicationem, vel super hoc oblatæ nobis petitionis instantiam, sed ex mera deliberatione, & ex certa Scientia nostra, easdem Prædecessorum, & specialiter præinsertas Pii V. & Innocentii IX. ac omnia in eis contenta, auctoritate Apostolica tenore præsentium comprobamus, confirmamus, & innovamus, easque inconcussæ, & validissimæ firmitatis robur, plenamque executionem, & effectum perpetuis etiam futuris temporibus obtinere, & ab omnibus inviolabiliter

serva-

servari decernimus, praecipimus, & mandamus. Praeterea, ne in posterum germanus earundem literarum sensus in dubium revocari, & à conditoris mente recedi contingat, motu, scientia, & deliberatione paribus, & de potestatis Apostolicae plenitudine habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus consultatione matura, & singulorum auditis sententiis in nostro Consistorio Secreto, ac etiam extra, oretenus, & in scriptis de eorum consilio, & assensu declaramus praedictas Pii V. literas comprehendere non solùm Principatus, Ducatus, Civitates, Castra, Oppida, Terras, Arces, Dominia, & Loca, jurisdictionales, & jurisdictionalia Sanctae Romanae Ecclesiae, & Sedis Apostolicae in Feudum, Vicariatum, vel alium Titulum tunc concessas, & concessa, ac etiam alias aliquando, & pluries concedi solitas, & solita quocunque tempore ad Cameram Apostolicam devoluta; verùm illas quoque, & illa, quae nunquam antea in feudum, vel alium titulum concessa, sed per Cameram, & Sedem Apostolicam immediatè possessa fuerunt, vel tunc possidebantur, prout etiam felicis recordationis Clemens Octavus Praedecessor noster, suo Consistoriali decreto, die vigesima sexta Junii anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Pontificatus illius primo declaravit, cujus sequitur tenor:

CLEMENS Octavus Sanctissimus Dominus noster dixit post editam per sanctæ recordationis Pium Papam Quintum Sanctitatis Suæ Prædecessorem de Fratrum consilio Constitutionem de non alienandis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis sibi, & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediatè, & immediatè subjectis, etiam ad illud usque tempus in Feudum, atque quemvis alienationis titulum dari solitis, ad Sedem prædictam quomodolibet devolutis, & pro tempore devolvendis, gravissimis impositis pœnis contra personas tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de hujusmodi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum infeudationibus, etiam sub prætextu necessitatis, evidentisque utilitatis, sive illas insinuantes, & suadentes, prout in ipsa Constitutione sub datum quarto Kalendas Aprilis Pontificatus sui anno secundo edita, sæpius postmodum per Prædecessores suos, ac novissimè per Sanctitatem Suam comprobata latiùs continetur piæ memoriæ Gregorium Decimumquintum itidem Prædecessorem suum in Consistorio secreto Romæ apud Sanctum Marcum die Veneris decima tertia Septembris millesimo quingentesimo nonagesimo primo habito, sententiis tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc aderant, & de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minimè requisitis, quinimo, multis eorum expressè contradicentibus declarasse, & decrevisse Pii Prædecessoris Constitutione prædicta non probiberi Feudum nondum devolutum, quando necessitas, aut evidens,

&c.

& vera Ecclesiæ utilitas postulaverit iterum infeudari, nec juramentum in ea præstitum similem casum comprehendere, ac neminem licitè jurare posse, quod contra necessitatem, aut evidentem utilitatem Ecclesiæ sit, sicque prædictam Constitutionem intelligendam judicasse, & definivisse, ita ut nemini postea de ea aliter, quàm tunc ab ipso declaratum fuit loqui, & scribere liceret, prout in eodem decreto, & declaratione pleniùs continetur. Verùm, quia re ipsa compertum est, quod ferè omnes alienationes Terrarum, Civitatum, Oppidorum, Locorum hujusmodi hactenus factæ, ex quibus magna læsio, & imminutio Patrimonii, ac existimationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sequuta est, etiam sub prætextu, & colore veræ, & evidentis necessitatis, vel utilitatis Prædecessoribus Sanctitatis Suæ insinuatæ fuerunt, cùm tamen vix ulla necessitas excogitari possit, cùm ex aliis bonis, aut redditibus, & proventibus, quàm Constitutione prædicta alienari prohibitis subveniri nequeant, vix etiam ulla dari posset utilitas, cui non præponderet recuperatio, & realis reintegratio in Patrimonium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ earumdem Civitatum, & Locorum huc usque alienatorum, cùmque hujusmodi casus absolutæ necessitatis, aut veræ, & evidentis utilitatis faciliùs mente, atque animo concipi, & effingi, quàm usu venire possint, multò magis expedire omnium prorsus alienationum, & investiturarum, prorogationum, & aliarum concessionum quomodocunque, & sub quibuscunque causis,

& præ-

& prætextibus attentandi viam omnino præcludere, quàm ob rarissimos casus, qui vix unquam contingere possint, apertam relinquere, cùmque lucrum in tempore negligere, quandoque maximum sit Ecclesiæ lucrum, utilius esse radices omnes, ex quibus hujusmodi alienationes provenire valeant penitus evellere, quàm ex eo quod aliquando possit earum aliqua utilis esse, occasionem præbere, ut multæ præjudiciales, & damnosæ fiant, cui absurdo, atque incommodò ipsum Pium Prædecessorem prædictum dicta Constitutione, non immeritò occurrere voluisse, qui longè plures, & graviores jacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse censuit, quàm utilitates ex paucissimis, si quæ unquam contingerent, fructuosæ. Proinde Sanctitas Sua habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, & singulorum auditis sententiis, de eorum consilio, & unanimi assensu decretum, & declarationem superiùs memoratam felicis recordationis Gregorii Decimiquarti tanquam destruens prædicti Pii Constitutionem, alienandique occasionem præbens, ac minimè necessariam, & desuper forsan confectas literas, quarum omnium tenores haberi voluit pro expressis, ac ad verbum insertis, Auctoritate Apostolica revocavit, abrogavit, cassavit, & annullavit, perinde ac si nunquam emanassent, declarans dicta Constitutione prohiberi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Feudorum, & Locorum in ea contentorum, tam quæ nunquam antea in Feudum con-

cessa, quàm quæ aliàs sæpius etiam in Feudum alienata, ac postmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, & prorogationes, & extensiones investiturarum, feudorum, & concessionum, etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas, juramentum quoque super ejusdem Constitutionis observatione per Sanctitatem Suam, & Successores Suos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præstitum, præstandum casum hunc necessitatis etiam absolutæ, & evidentis, & veræ utilitatis omnino comprehendere, nec propterea aliquid illicitum jurari, aut quod contra necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ sit, sed quod rationi consonum, atque & re illius est, ac summopere conduci, prout eadem auctoritate declaravit, statuit, & decrevit cum clausulis, & derogationibus opportunis. Actum Romæ in Monte Quirinali die vigesima sexta Junii millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in Consistorio secreto.

Pariterque declaramus sub eadem Constitutione comprehensa fuisse, & comprehendi Principatus, Ducatus, Civitates, Castra, Oppida, Terras, Arces, Dominia, & Loca, jurisdictionales, & jurisdictionalia, non tantùm ad Sanctam Romanam Ecclesiam, & Sedem, & Cameram Apostolicam eo tempore devoluta, aut alio quocunque Titulo quomodolibet acquisita, sed quæ post eam usque in præsentia, & in futurum successivis temporibus in per-

petuum ſive devolutionis, ſive alio quovis titulo quomodolibet acquiſita fuerant, acquirentur, ſalvis tamen Conſtitutionibus editis pro bonis confiſcatis à felicis recordationis Gregorio XIII. quinto Idus Julii anno 1580. ſui Pontificatus nono, & Sixti V. Kalendas Julii anno 1585. ejus Pontificatus primo, quibus cautum fuit Ducatus, Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, aliaque bona ad prædictam Sedem, & Cameram Apoſtolicam ratione delictorum, & confiſcationum in caſibus in eis ſtatutis delata, ſub eadem Pii V. Conſtitutione ſuper hujuſmodi dominiis, & juriſdictionibus in feudum, aut aliàs non concedendis, nec alienandis edita, minimè comprehendi, declarantes tamen illas intelligendas eſſe, prout intelligi decernimus, & mandamus, ut Principatus, Ducatus, Civitates, Caſtra, Oppida, Terræ, Arces, Loca, Dominia, Vicariatus, Gubernia, Feuda, & Loca juriſdictionalia in illis comprehenſa, & ex earum diſpoſitione confiſcata, & confiſcanda non ſubjiciant, neque ſubjiacere debeant prædictis literis Pii V. pro eo tempore ſolùm, quo delinquens, ſeu delinquentes vixerint, & inveſtituræ, ſi quæ antea conceſſæ fuerunt, durabunt, ac perſonæ, ſeu lineæ in illis comprehenſæ ſupererunt, & ſalvis etiam pactis in ipſis inveſtituris contentis. Inſuper eiſdem motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtate declaramus diſpoſitionem prædicti recolendæ memoriæ Clementis Octavi in iiſdem literis ſeptimo Kalendas Julii an-

no

no 1596. ejus Pontificatus quinto, in quibus decrevit Civitates, Terras, Caſtra, & Loca juriſdictionalia per Cameram Apoſtolicam in vim ejuſdem Conſtitutionis emenda, & acquirenda in dicta præcedenti Conſtitutione Pii V. per triennium à die illarum venditionis computandum, minimè comprehendi debere, ita intelligendam eſſe, ut ſtatim finito dicto triennio, quatenus eo durante non fuerit deventum ad illorum veram, propriam, & effectualem alienationem, Civitates, Caſtra, Terræ, & Loca prædicta ipſo jure, & facto cenſeantur unita, & incorporata eidem Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ, atque ſubjecta, & comprehenſa in prædictis Pii V. literis, etiam nulla alia facta declaratione, acceptatione, ſeu decreto, ita ut dictus terminus trium annorum nullo pacto ſuſpendi, prorogari, vel aliter impediri poſſit curſus illius, neque incorporatio, comprehenſio, & ſubjectio prædicta, & ita eſſe ſervandum decernimus, & mandamus. Poſtremò ſtatuimus, ut ſicut nos præinſertas Pii V. ac Innocentii IX. & Clementis VIII. literas, ſeu decretum ſub die vigeſima ſexta Junii 1592. & omnes, & ſingulas Conſtitutiones, & Decreta, tam ejuſdem Clementis, quàm aliorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, quibus Civitates, Caſtra, Oppida, & alia Loca, & bona hujuſmodi juriſdictionalia Sedi, & Cameræ Apoſtolicæ quocunque tempore unita, & incorporata, ac prædictis literis Pii V. ſubjecta fuerunt,

& ſpecialiter Decretum à nobis die vigeſima Decembris proximè præteriti in noſtro Conſiſtorio ſecreto, aſſentientibus pariter, & approbantibus Venerabilibus Fratribus Noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, factum ſuper incorporatione, ac ſubjectione Ducatus Caſtri, & Oppidorum Roncilionis, Valerani, & aliorum omnium Locorum, & bonorum jurisdictionalium, quæ à recolendæ memoriæ Innocentio V. Prædeceſſore noſtro, ſibi, & eidem Cameræ Apoſtolicæ acquiſita, ex Inſtrumentis reſpectivè rogatis per acta Bartholomæi Brunori die 7. Octobris 1649. & Franciſci Lucarelli Cameræ Apoſtolicæ, & Caroli Viperæ Capitolii Notariorum die XIX. Decembris ejuſdem anni, ac præſentem noſtram Conſtitutionem inviolatè ſervaturos promittimus, & ſanctè ac ſolemni more juramus, & Cardinales omnes, & ſinguli præſentes in Conſiſtorio noſtro hodierna die, ut moris eſt, habito pariter jurejurando promiſerunt juxta formam, & tenorem juramenti pro obſervatione prædicta Pii V. per eos antea præſtiti, & ita abſentes à Conſiſtorio in eorum habitationibus, & à Curia, quandocunque ad eam ſe contulerint, ac futuri pro tempore Cardinales in ſumptione Pilei, & deinde in Conclavi, ac etiam poſt aſſumptionem ad Pontificatum in manibus Cardinalis Vice-Cancellarii pariformiter promittere, & jurare debeant eaſdem omnes, & ſingulas Conſtitutiones, & hanc noſtram, quantum in eis erit, obſer-

obſervare, illiſque non contravenire, nec Pontificibus contrafacientibus conſentire, & abſolutionem à juramento præſtito non petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare, ac jusjurandum hujuſmodi in formula juramenti per eoſdem Cardinales præſtari ſoliti, adjungi, & inſeri debere, ac contrafacientes pœnam perjurii, ac perpetuæ infamiæ juris, & facti eo ipſo incurrere decernimus. Præterea quod ipſi Cardinales, occurrente Sedis Apoſtolicæ vacatione in Conclavi, quando de obſervandis literis recolendæ memoriæ Julii Papæ II. Prædeceſſoris noſtri ſuper electione Romani Pontificis, & aliis Conſtitutionibus juramentum præſtare ſolent, etiam de inviolabiliter obſervandis prædictis, ac præſenti Conſtitutione noſtra per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, & poſtmodum idem ad Summi Pontificatus faſtigium aſſumptus, poſt ejus aſſumptionem, hoc ipſum ad majorem cautelam promittere, ac jurare, & deinde poſt Coronationem ſuam promiſſionem, & juramentum hujuſmodi per literas ſuas ſpeciales harum confirmatorias reiterare debeat, quod ſi illud à Pontifice, quod credendum non eſt, recuſabitur, aut differetur, tunc dicti Cardinales in primo Conſiſtorio ſecreto, & præcipuè eorum Decanus, & capita Ordinum apud eum omni cum conſtantia, & inſtantiſſimè pro præſentium obſervatione petere, & rogare, ac obteſtari non ceſſent, idque ut omnino efficiat diligentiſſimè

curare ſtudeant, ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes præſentes literas ſub quibuſvis revocationibus, caſſationibus, derogationibus, ac aliis contrariis depoſitionibus, ſub quibuſvis tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & decretis pro tempore quomodolibet factis, & faciendis, minimè comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas, & de novo conceſſas eſſe, & cenſeri: & ita per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Cameræ prædictæ Præſidentes, & Clericos, cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in quavis cauſa, & inſtantia; ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac præſentes noſtras literas in libello, quo ipſa Conſtitutio Pii V. Prædeceſſoris continetur, ac in libro *Quinterno* appellato Cancellariæ Apoſtolicæ deſcribi mandamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac Civitatum, & Locorum prædictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, & aliis, quæ idem Pius Prædeceſſor voluit non obſiſtere, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcunque.

Nulli

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, declarationis, voluntatis, decreti, promissionis, ac juramenti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo, nono Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno sexto.

Ego ALEXANDER Catholicæ Ecclesiæ Episcopus promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus Episcopus Portuensis Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Bernardinus Episcopus Prænestinus Card. Spada promitto, voveo, & juro.

Ego J. Episcopus Sabinen. Card. Sacchettus promitto, voveo, & juro.

Ego M. Episcopus Albanen. Card. Ginnettus promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Columna promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Baptista tit. S. Mariæ Trans-Tyberim Card. Pallottus promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Uldericus tit. S. Petri ad Vincula Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.

Ego M. Antonius tit. S. Mariæ de Pace Card. Franciottus promitto, voveo, & juro.

Ego Steph. tit. S. Laurentii in Pane, & Perna Card. Duratius promitto, voveo, & juro.

Ego F. Vincentius Maculanus tit. S. Clementis Card. S. Clementis promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Card. Grimaldus promitto, voveo, & juro.

Ego Angelus tit. SS. Quirici, & Julitæ Card. Giorius promitto, voveo, & juro.

Ego N. Card. Ludovisius Major Pœnitentiarius promitto, voveo, & juro.

Ego Federicus S. Anastasiæ Presb. Card. Sfortia promitto, voveo, & juro.

Ego Benedictus tit. S. Honuphrii Card. Odescalcus promitto, voveo, & juro.

Ego Camillus tit. S. Petri in Monte Aureo Card. Astallius promitto, voveo, & juro.

Ego Aloysius tit. S. Alexii Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus tit. S. Mariæ Transpuntinæ Presb. Card. Corradus promitto, voveo, & juro.

Ego Laurentius tit. S. Chrysogoni Card. Imperialis promitto, voveo, & juro.

Ego Gibertus tit. SS. Joannis, & Pauli Card. Borromæus promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Marcellus tit. S. Stephani in Monte Cœlio Card. Sanctacrucius promitto, voveo, & juro.

Ego Baccius tit. SS. Nerei, & Achillei Card. Aldobrandinus promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Baptista Spada tit. S. Marcelli Card. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus tit. S. Mariæ in Via Card. Albitius promitto, voveo, & juro.

Ego Octavius tit. S. Cæciliæ Card. de Aquaviva promitto, voveo, & juro.

Ego Flavius tit. S. Mariæ de Populo Card. Chisius promitto, voveo, & juro.

Ego Julius tit. Sancti Xisti Presb. Card. Rospigliosius promitto, voveo, & juro.

Ego Nicolaus tit. S. Eusebii Presb. Card. à Balneo promitto, voveo, & juro.

Ego F. tit. S. Joannis ante Portam Latinam Presb. Card. Paulutius promitto, voveo, & juro.

Ego Sfortia Presb. Card. Pallavicinus tit. S. Salvatoris de Lauro promitto, voveo, & juro.

Ego Virginius S. Mariæ in Via Lata Diaconus Card. Ursinus promitto, voveo, & juro.

Ego R. Card. Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano promitto, voveo, & juro.

Ego Paulus Æmilius S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Rondininus promitto, voveo, & juro.

Ego Laurentius S. Eustachii Diaconus Card. Raggius promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Carolus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Carolus S. Mariæ in Domnica Diac. Card. Pius promitto, voveo, & juro.

Ego Decius S. Adriani Diaconus Card. Azzolinus promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus Maria SS. Viti, & Modesti Diaconus Card. Mancinus promitto, voveo, & juro.

INNO-

INNOCENTII XII. CONSTITUTIO MODERATORIA

Donationum, & Distributionis reddituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per Concessum fieri dicuntur.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, tanquam fidelem Servum, & prudentem, quem constituit Dominus super Familiam Suam, in Ecclesiæ Catholicæ conspectu actum suum ita ordinare, ut ipse quidem in diebus suis placeat Deo, & inveniatur justus, fiatque forma gregis ex

animo, & bonus ſit Chriſti odor in omni loco; Cæteri verò Antiſtites, & Eccleſiarum Prælati in partem ſolicitudinis, cujus ei commiſſa eſt plenitudo, vocati, aliique Chriſtifideles, quos curæ ſuæ divinitus creditos in viſceribus Paternæ gerit charitatis ejus exemplo, atque præceptis caduca Mundi hujus deſpicere, carniſque, & ſanguinis laqueos effugere, ac de bonis, & rebus Eccleſiaſticis juxta æquitatis, & juſtitiæ leges diſponere, & Spiritualium remigio alarum ad cœleſtia contendere, atque evolare auxiliante Domino condiſcant. Hinc ad ea Sacrorum Canonum inſtituta, quæ Epiſcopis, ne bonis, & redditibus Eccleſiæ Conſanguineos ſuos augere ſtudeant, interdicunt, conſiderationis noſtræ aciem convertentes, eam nobis in ſuprema B. Petri Apoſtolorum Principis, cui caro, & ſanguis non revelavit, Sede conſtitutis ab ipſo Pontificatus noſtri primordio ſervandam propoſuimus, & hactenus Deo adjuvante ſervare ſtuduimus diſciplinam, ut in bonorum, & reddituum ad hanc Sanctam Sedem, & Cameram noſtram Apoſtolicam ſpectantium diſtributione Juſtitiæ, atque prudentiæ leges, & regulas accuratè cuſtodientes, ſummam meritorum, nullam autem carnis, & ſanguinis, aut cujuſcunque humani affectus rationem haberemus. Et licet in Dei miſericordia ſperemus, tales nobis ſucceſſuros Romanos Pontifices, qui non minùs hac in parte, quàm in reliquis munus ſuum impleant, & Eccleſiam uni-

verſam

versam spiritualium aromatum odore perfundant: Nihilominus ea, quæ nobis licere non patimur, aliis indicare, salubremque in Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Matre, & Magistra circa præmissa normam, & legem constituere, atque stabilire decrevimus.

Habita igitur super his cum Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum consilio pariter, & assensu ad Omnipotentis Dei gloriam, Apostolicæ Sedis honorem, ac Antistitum, Prælatorum, aliorumque Ecclesiasticorum ædificationem, & bonum exemplum, hac nostra perpetuò valitura Constitutione statuimus, atque decernimus, salutarem hanc de cætero in dicta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ servari rationem, atque disciplinam, ut nec à nobis, nec ab ullo Romanorum Pontificum Successorum nostrorum ad favorem nostrorum, sive suorum respectivè Fratrum, Nepotum, aliorumque quorumcunque Consanguineorum, seu Affinium, sive illorum, quos in locum Nepotum, aliorumque Consanguineorum per cooptationem in familiam, aut aliter adlegi, seu adscisci contigerit, de bonis, pecuniis, locis Montium vacabilium, & non vacabilium, officiis venalibus, illorumque pretio, creditis, redditibus, rebus, & juribus quibuscunque ad Sedem, & Cameram præfatas quovis modo spectantibus, vel quandocunque spectaturis, etiam ex emolumentis

Datariæ, Cancellariæ Apoſtolicæ, Secretariæ Brevium, Spoliorum Eccleſiaſticorum, & quarumcunque Palatii Apoſtolici portionum, ſeu diſtributionum provenientibus, liberalitatis, & donationis, aliove quovis gratuito, ſeu lucrativo titulo directè, vel indirectè etiam ſervitiorum, & meritorum, quæ tamen talia non ſint, ut ex lege juſtitiæ eam exigant remunerationem, aliove quolibet colore, ſeu prætextu, ſive etiam ſupra veram ipſorum ſervitiorum, & meritorum rationem ullo modo in poſterum diſponatur.

Quòd ſi Fratres, Nepotes, Conſanguinei, vel Affines, ſeu illorum loco adlecti, ſive adſciti præfati inopia laboraverint, poterit Romanus Pontifex pro tempore exiſtens pro timorata ſua conſcientia illorum paupertatem eodem omnino modo ſublevare, quo Pauperum extraneorum inopiæ ſubvenire fas eſt.

Ne autem, quod directè prohibetur, indirectè permittatur magnorum ſtipendiorum, ſeu honorariorum nonnullis Sedis prædictæ officiis, ſeu muneribus, quæ Conſanguineis, vel Affinibus, ſeu adlectis, vel adſcitis præfatis concedi, ut plurimùm conſueverunt, aſſignatorum ratione, ſtipendia, proviſiones, ſive ſalaria, & honoraria, & aliàs quomodolibet nuncupari ſolita emolumenta quæcunque, quæ antehac per Cameram prædictam in Civitate Avenionenſi, & Comitatu Venayſſino noſtris

in

in ſpiritualibus, & temporalibus Vicario Generali, ac in illis, & vicinis quinque Provinciis ejuſdem Sedis de Latere Legato præſtari, & ſolvi plerunque ſolita, & conſueta fuerunt: Superintendentis verò Generalis negotiorum Sedis Apoſtolicæ, nec non totius Militiæ tam Equeſtris, quàm Pedeſtris Status noſtri Eccleſiaſtici Gubernatoris, & Capitanei Generalis, itidemque Claſſis, & Triremium Pontificiarum Præfecti, illiuſque, & illarum Commiſſarii, & Locumtenentis Generalis, Arciumque, & Turrium ad littora Maris Adriatici, & Tyrrheni exiſtentium Superintendentis Generalis utriuſque Cuſtodiæ Corporis Romani Pontificis, ejuſque Locumtenentis Generalis, item Caſtellani Arcis Sancti Angeli de Urbe Gubernatoris, ut aliàs deputabatur, Civitatis Beneventanæ, cujus tamen Gubernium ad inſtar aliorum prædicti noſtri Status, prout in præſentiarum ſervatur, remaneat, & Arcis Beneventanæ Præfecti; item Gubernatoris Oppidi noſtri Civitatis Vetulæ, ac demum Peruſinæ, Anconitanæ, & novæ Aſculanæ reſpectivè Arcium Præfecti, ſeu Caſtellani officia, & munera ipſa cum omnibus, & ſingulis illorum, & cujuslibet eorum juribus, prærogativis, ſtipendiis, ſalariis, & emolumentis quibuſcunque perpetuò ſupprimimus, & abolemus, illaque deinceps, quomodocunque, & quandocunque renovari prohibemus, nec cuiquam de cætero aſſignari, & præſtari, ſeu concedi, & conferri reſpectivè volumus,
atque

atque decernimus. Quòd si pro rerum qualitate, temporumque contingentia, manifesta, urgensque necessitas munera, seu officia militaria hujusmodi, vel aliqua ex eis de novo institui exegerit, Viros ad illa assumi volumus, & mandamus strenuos, & fideles, eximia virtute præstantes, reique militaris apprime peritos, & in illa diuturno, ac probato usu exercitatos, quibus Romanus Pontifex pro tempore existens secundùm datam sibi à Domino sapientiam pro ratione laboris, industriæ, atque periculi competentia, & congruentia stipendia assignabit.

Porro si nostri, Successorumque nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium Fratres, Nepotes, & alii quicunque Consanguinei, seu Affines, sive veri, sive, ut præfertur, adlecti, & adsciti, vitam Ecclesiasticam adlegerint, ac Ecclesiarum, & Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum, ac annuarum pensionum super eorum fructibus consecutionis capaces fuerint, eam in redditvum, & proventuum Ecclesiasticorum distributione eis facienda servari volumus moderationem, & nonnisi juxta eorum merita, & non ultra, congruam pro gradus, vel dignitatis, quem, vel quam in Ecclesia obtinuerit, nullo ad consanguineitatem, affinitatem, seu adlectionem erga Romanum Pontificem habito respectu, sustentationem, ejusmodi redditus, & proventus

Eccle-

Ecclesiastici eis distribuantur, quo custodita in omnibus Ecclesiasticæ Disciplinæ, atque Justitiæ distributivæ regula, nemini relinquatur conquerendi, vel obloquendi occasio, sed Ecclesiastica stipendia ministrantibus in Ecclesia Dei æqua lance pro uniuscujusque merito assignentur.

Quoad illos autem ex Fratribus, Nepotibus, aliisque Consanguineis, seu Affinibus Romanorum Pontificum pro tempore existentium præfatorum, sive veris, sive, ut præfertur, adlectis, & adscitis, quos eximiis eorum ita exigentibus meritis ad sublimem Cardinalatus dignitatem assumi contigerit, eam quoque de cætero servari volumus moderationem, ut Ecclesiæ, Monasteria, Commendæ, aliave cujusvis generis Beneficia, & Officia Ecclesiastica, ac pensiones annuæ super illorum fructibus unicuique eorundem respectivè conferenda, commendanda, & concedenda, ac reservandæ, & assignandæ, verum valorem annuum duodecim millium scutorum monetæ Romanæ, computatis insimul Beneficiorum, & Officiorum quibuscunque fructibus, & pensionum quantitatibus, in totum non excedant: In ea tamen taxatione non comprehendantur emolumenta Officiorum ejusdem Apostolicæ Sedis, & Romanæ Curiæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus demandari, seu concedi solitorum, aliorumque munerum, quæ ipsis non ad vitam, vel in perpetuum, sed ad tempus, seu beneplacitum Romani

Pon-

Pontificis pro tempore exiſtentis demandata, ſeu conceſſa fuerint. Declarantes, quod deinceps præfati, qui vitam Eccleſiaſticam elegerint, ſeu ad ſublimem Cardinalatus dignitatem fuerint aſſumpti, quoſcunque Titulos fructuum reſervationibus gravatos, ſive præventivas, vel eventitias penſiones ultra moderationem, ut ſupra, reſpectivè præſcriptam nullatenus aſſequi valeant.

Quòd, ſi forſan (quod abſit) modus circa præmiſſa ſic congruenter, ſalubriterque præſcriptus in poſterum excedatur, curæ erit Romanis Pontificibus Succeſſoribus, donationes gratuitas, ſeu lucrativas diſpoſitiones, exceſſivas ſubventiones, munerum, & officiorum, ſeu illorum ſtipendiorum, & emolumentorum conceſſiones, ac redditiuum, & proventuum eccleſiaſticorum diſtributiones, nec non collationes, commendas, conceſſiones, reſervationes, & aſſignationes, aliaque præmiſſa contra, vel ultra modum, ut præfertur, præſcriptum factas, ſeu facta reſcindere, & revocare, & in nihilum redigere, ac, ut præfertur, donata, elargita, conceſſa, collata, commendata, reſervata, & aſſignata à Conſanguineis, & Affinibus, ſive veris, ſive adlectis, & adſcitis præfatis, eorumque hæredibus, & ſucceſſoribus, reſpectivè etiam manu Regia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine vindicare, & auferre, ac Cameræ Apoſtolicæ applicare, & incorporare, aliiſque reſpectivè conferre, commendare, conce-

dere,

dere, & assignare, ac aliàs desuper opportunè providere, seu disponere.

Quia verò ægrotante Romano Pontifice nonnunquam contigit, ut Signaturæ gratiarum, quæ per Concessum fieri dicuntur, modum illum excederent, quem ipse Romanus Pontifex, dum bene valebat, servare consueverat; statuimus, atque decernimus, ut ii, quibus ejusmodi Signaturas per Concessum à Romano Pontifice ægrotante, etiam per Chirographum speciale manu ipsius Romani Pontificis subscriptum, vel aliàs quomodocunque committi contigerit, cujuscunque status, gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, nullas hujusmodi gratias signare, vel expedire valeant, nisi fuerint ad illas adhibiti duo ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, qui unà cum Signatore præfato coram ipsomet Romano Pontifice eas concedente, ac expediri mandante, earundem gratiarum supplicationibus, sive minutis, aut Chirographis, aliisque concessionum scripturis subscribant, alioquin quidquid secus actum, signatum, gestumve fuerit, nullum, irritum, & invalidum, nulliusque sit roboris, vel momenti, & qui huic saluberrimæ Sanctioni contravenerint, ab ipso Romano Pontifice sanitati restituto, vel ab ejus Successoribus condignis pœnis puniantur.

Ut autem præmissa omnia, & singula perpetuò, & inviolabiliter observentur, volumus, & Apo-

ſtolica auctoritate decernimus, ut, ſicut ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales in Romana Curia præſentes, hanc Conſtitutionem, quantum in eis erit, obſervare, illique non contravenire, nec ullis contrafacientibus etiam Romanis Pontificibus conſentire, nec abſolutionem à juramento præſtito petere, nec oblatam, aut conceſſam acceptare promiſerunt, & jurarunt; idem quoque per abſentes ab eadem Curia dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales quandocunque ad eam advenerint, ac per futuros Cardinales in aſſumptione Pilei promitti, & jurari debeant, promiſſioque, & juramentum hujuſmodi in formula juramenti per eoſdem Cardinales præſtari ſoliti, adjungatur, & adſcribatur. Occurrente autem quandocunque ejuſdem Apoſtolicæ Sedis vacatione, iidem Cardinales in Conclavi, quando de obſervandis felicis recordationis Prædeceſſorum Noſtrorum Julii Papæ II. ſuper electione Romani Pontificis, Pii Papæ V. ne Civitates, & Loca Sanctæ Romanæ Eccleſiæ infeudentur, & Sixti Papæ V. de pecuniis in Arce Sancti Angeli poſitis, inde non amovendis, aliiſque nonnullis Conſtitutionibus Apoſtolicis juramentum præſtare ſolent, etiam de præſenti Conſtitutione per quemlibet eorum, qui in Romanum Pontificem electus fuerit, inviolabiliter obſervanda; & poſtmodum ipſe ad ſupremi Apoſtolatus Officium aſſumptus poſt aſſumptionem hujuſmodi hoc ipſum promittere, & jurare de-

debeat, servatis etiam omnibus, & singulis illis, quæ circa juramentum hujusmodi in præfata Sixti Prædecessoris Constitutione anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, undecimo Kalendas Maji, Pontificatus sui anno primo edita, præscribuntur.

Has quoque nostras literas in libellum redigi, & post prædictas Julii, Pii, & Sixti, quæ in Conclavi legi solent, aliorumque Prædecessorum nostrorum Constitutiones adjungi, & in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ unà cum aliis Constitutionibus Apostolicis adscribi, & ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, dictæque Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ de Urbe publicari, ipsarumque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem, tam in judicio, quàm extra illud, ubique haberi volumus, quæ iisdem præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum Constitutionis, suppressionis, abolitionis, taxationis, Statutorum, Decretorum, voluntatum, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Bea-

torum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo, decimo Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno primo.

Ego INNOCENTIUS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus promitto, voveo, & juro.

Ego Alderanus Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Cybo promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus Epiſcopus Tuſculanus Card. Franſonus promitto, voveo, & juro.

Ego P. Epiſcopus Præneſtinus Card. de Alteriis S. R. E. Camerarius promitto, voveo, & juro.

Ego F. tit. S. Praxedis Presb. Card. Maidalchinus promitto, voveo, & juro.

Ego Carolus tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Nicolaus tit. S. Calixti Presb. Card. Acciajolus promitto, voveo, & juro.

Ego Gaſpar tit. S. Mariæ Trans-Tyberim Presb. Card. Carpineus promitto, voveo, & juro.

Ego Cæſar tit. SS. Trinitatis in Monte Pincio Presb. Card. d'Eſtrès promitto, voveo, & juro.

Ego Hieronymus tit. S. Silveſtri in Capite Card. Caſanate promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Franciscus tit. S. Matthæi in Merulana Card. Nerlius promitto, voveo, & juro.

Ego Galeatius tit. SS. Quirici, & Julitæ Presb. Card. Marescottus promitto, voveo, & juro.

Ego Fabritius tit. S. Chrysogoni Presb. Card. Spada promitto, voveo, & juro.

Ego P. Thomas Hovardus tit. S. Mariæ super Minervam Presb. Card. de Norfolcia promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Bapt. tit. S. Cæciliæ Presb. Card. Spinula promitto, voveo, & juro.

Ego Fr. Laurentius tit. SS. XII. Apostolorum Presb. Card. de Lauræa promitto, voveo, & juro.

Ego Jacobus tit. S. Mariæ de Aracæli Presb. Card. de Angelis promitto, voveo, & juro.

Ego M. Antonius Barbadicus tit. S. Susannæ Presb. Card. S. Susannæ promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes tit. S. Petri in Monte Aureo Presb. Card. de Goessen promitto, voveo, & juro.

Ego P. M. tit. S. Marcelli Presb. Card. Petruccius promitto, voveo, & juro.

Ego Joseph Saenz tit. S. Balbinæ Presb. Card. de Aguirre promitto, voveo, & juro.

Ego Leander tit. SS. Nerei, & Achillei Presb. Card. Colloredus Major Pœnitentiarius prom. vov. & juro.

Ego Fortunatus tit. SS. Joannis, & Pauli Presb. Card. Carafa promitto, voveo, & juro.

Ego Bandinus tit. S. Pancratii Presb. Card. Panciaticus promitto, voveo, & juro.

Ego

Ego Ferdinandus tit. S.Clementis Presb.Card.de Abdua promitto, voveo, & juro.

Ego Tussanus tit. S.Agnetis extra Mœnia Presb. Card. de Janson Fourbin promitto, voveo, & juro.

Ego Jo: Bapt. tit. S.Laurentii in Pane, & Perna Presb. Card. Rubinus promitto, voveo, & juro.

Ego J. B. tit. S. Anastasiæ Presb. Card. Costagutus promitto, voveo, & juro.

Ego Urbanus S. Mariæ in Via Lata Diaconus Card. Sacchettus promitto, voveo, & juro.

Ego Fulvius SS. Cosmæ, & Damiani Diaconus Card. Astallius promitto, voveo, & juro.

Ego. Petrus S. Laurentii in Damaso Diaconus Card. Otthobonus S.R.E.Vice-Cancellarius prom.vov.& juro.

Ego C. S. Mariæ in Cosmedin Diaconus Card. Bichius promitto, voveo, & juro.

Ego Aloysius S.Mariæ in Porticu Diac. Card. Homodeus promitto, voveo, & juro.

Ego Joannes Franciscus S. Adriani Diac. Card. Albanus promitto, voveo, & juro.

Ego Franciscus S. Angeli in Foro Piscium Diac. Card. Barberinus promitto, voveo, & juro.

Ego Laurentius S. Mariæ in Aquiro Diac. Card. de Alteriis promitto, voveo, & juro.

Loco ✠ Plumbi.

B. Card. Pro-Datarius J. F. Card. Albanus.

CLE-

CLEMENS VIII.

Romæ in Monte Quirinali die Veneris 26. Junii 1592. fuit Consistorium secretum, in quo

SAnctissimus Dominus Noster dixit, post editam sanctæ recordationis Pium Papam V. Sanctitatis Suæ Prædecessorem de Fratrum consilio Constitutionem de non alienandis Civitatibus, Terris, Oppidis, & Locis sibi, & Apostolicæ Sedi in temporalibus mediatè, & immediatè subjectis, etiam ad illud usque tempus in Feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solitis ad Sedem prædictam quomodolibet devolutis, & pro tempore devolvendis, gravissimis impositis pœnis contra personas tractantes, consulentes, aut aliàs verba facientes de hujusmodi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, & Locorum infeudationibus, etiam sub prætextu necessitatis, & evidentis utilitatis, sive illas insinuantes, & suadentes, prout in ipsa Constitutione sub datum quarto Kalendas Aprilis Pontificatus sui anno secundo, edita sæpius postmodum per Prædecessores suos, ac novissimè per Sanctita-

tem

tem Suam comprobata latiùs continetur, piæ memoriæ Gregorium XIV. itidem Prædecessorem suum in Consistorio secreto Romæ apud Sanctum Marcum die Veneris decimatertia Septembris 1591. habito, Sententiis tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui tunc aderant, ac de quorum numero etiam Sanctitas Sua erat, minimè requisitis, quinimo multis eorum expressè contradicentibus declarasse, & decrevisse, Pii Prædecessoris Constitutione prædicta non prohiberi Feudum nondum devolutum, quando necessitas, aut evidens, & vera Ecclesiæ utilitas postulaverit iterum infeudari, nec juramentum in ea præstitum similem casum comprehendere, ac neminem licitè jurare posse, quod contra necessitatem, aut evidentem utilitatem Ecclesiæ sit; sicque prædictam Constitutionem intelligendam judicasse, ac diffinivisse, itaut nemini postea de ea aliter, quàm tunc ab ipso declaratum fuit, loqui, & scribere liceret, prout in eodem Decreto, & declaratione pleniùs continetur. Verùm quia re ipsa compertum est, quod ferè omnes alienationes Terrarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum hujusmodi hactenus factæ, ex quibus magna læsio, & imminutio Patrimonii, & existimationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sequuta est, etiam sub prætextu, & colore veræ, & evidentis, vel necessitatis, vel utilitatis Prædecessoribus Sanctitatis Suæ insinuatæ fuerunt, cùm tamen vix ulla necessitas

exco-

excogitari possit, cui ex aliis bonis, aut redditibus, & proventibus, quàm Constitutione prædicta alienari prohibitis subveniri nequeat, vix etiam ulla dari possit utilitas, cui non præponderet recuperatio, & realis reintegratio in Patrimonium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ earundem Civitatum, & Locorum hucusque alienatorum. Cùmque hujusmodi casus absolutæ necessitatis, aut veræ, & evidentis utilitatis faciliùs mente, atque animo concipi, & effingi, quàm usu venire possint, multò magis expedire omnem prorsus alienationem, & Investiturarum prorogationem, & aliarum concessionum quomodocunque, & sub quibuscunque causis, & prætextibus attentandi, viam omnino præcludere, quàm ob rarissimos casus, qui vix unquam contingere possunt, apertam relinquere; cùmque lucrum in tempore negligere, maximum quandoque sit Ecclesiæ lucrum, utilius esse radices omnes, ex quibus hujusmodi alienationes provenire valeant, penitus evellere, quàm ex eo, quod aliquando possit earum aliqua utilitas esse, occasionem præbere, ut multæ utilitates præjudiciales, & damnosæ fiant, cui absurdo, atque incommodo ipsum Pium Prædecessorem præfatum dicta Constitutione non immeritò occurrere voluisse, qui longè plures, & graviores jacturas ex multis perniciosis distractionibus sequi posse censuit, quàm utilitates ex paucissimis, si quæ unquam contingerent, fructuosæ. Proinde San-

ctitas Sua habita super hoc cum Venerabilibus Fratribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, & singulorum auditis sententiis, de eorum consilio, & unanimi assensu Decretum, & declarationem superiùs memoratam felicis recordationis Gregorii XIV. tanquam destruens prædictam Pii Constitutionem, alienandique occasionem præbens, ac minimè necessarium, & desuper forsan confectas literas, quorum omnium tenores haberi voluit pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis Auctoritate Apostolica revocavit, abrogavit, cassavit, & annullavit, perinde ac si nunquam emanassent: Declarans dicta Constitutione prohiberi Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Feudorum, & Locorum in ea contentorum, tam quæ nunquam antea in Feudum concessa, quàm quæ aliàs etiam sæpius alienata, vel infeudata, ac postmodum devoluta, aut etiam nondum devoluta fuerunt, alienationes, infeudationes, ac prorogationes, & extensiones Investiturarum Feudorum, & concessionum, etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas juramentum quoque super ejusdem Constitutionis observatione per Sanctitatem Suam, & Successores suos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales præstitum, & præstandum casum hunc necessitatis etiam absolutæ, & evidentis, & veræ utilitatis omnino comprehendere, nec propterea aliquid illicitum jurari, aut

quid

quid contra necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ sit, sed quod rationi consonum, atque è re illius est, ac summopere conducit, prout eadem auctoritate declaravit, statuit, & decrevit, cum clausulis, & derogationibus opportunis.

URBANI VIII.

Feria secunda die 12. Maji 1631. in Palatio Quirinali fuit Consistorium secretum, in quo

Sanctissimus Dominus Noster hujusmodi sermone Reverendissimos Dominos Cardinales allocutus est:

VENERABILES FRATRES.

COGNITUS est Vobis obitus Francisci Mariæ Feltrii de Ruvere Urbini Ducis, & accessus ad illum statum Thadæi Barberini Principis Prænestinorum, & Ereti Ducis Nostri ex Fratre germano nepotis, qui Cameræ Apostolicæ nomine, & nostro acceptavit aperitionem Feudi cum omnibus Urbibus, & Oppidis, de quibus erat dictus quondam Franciscus Maria à Sede Apostolica investitus, & accepit summa cum quiete, & plausibus exceptus possessionem.

Instrumenta Possessionis captæ transmissa, & alia transmittenda cum aliis Scripturis occasione præmisso- rum

rium confectis, volumus considerari, & recognosci, & propterea ad hunc effectum deputamus DD. Cardinales Sancti Sixti, Gypsium, Verospium, Virilem, Barberinum, & Ginettum; quibus cum conveniet Thesaurarius, & Commissarius Cameræ Apostolicæ, & nonnulli alii quorum interventus nobis opportunus videbitur.

Igitur cùm per obitum dicti Ducis Francisci Mariæ Feltrii de Ruvere omnes, & singulæ Civitates Urbinatensis, Eugubina, Calliensis, Forosempronienfis, necnon aliæ sub nomine Ducatus Urbini, ejusque membrorum, & pertinentiarum comprehensæ, & Pisaurensis, & Senogalliensis, & Civitas Sancti Leonis cum Statu Montis Feltrii, seu Feretrii, & Vicariatus Mondavii cum Castris, & Terris, Fortalitiis, Portibus, Locis, Jurisdictionibus, atque aliis annexis, & connexis, & omnibus etiam aliis Jurisdictionibus quocunque alio vocabulo comprehensis, de quibus à Sede Apostolica, & Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus idem Franciscus Maria, seu veriùs Antecessores investiti fuerunt, seu aliàs quomodolibet illos, & illa à Sede præfata tenuerunt, & habuerunt, ad eamdem Sedem, & Cameram ipsius Apostolicam, & Nos tam ex forma Investiturarum, seu aliarum cessionum de eis factarum, tum vigore Constitutionis felicis recordationis Pii V. Prædecessoris Nostri editæ sub datum quarto Kalendas Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto anno

Ponti-

Pontificatus ejusdem secundo, & à pluribus Nostris Prædecessoribus, & à Nobis per literas Apostolicas confirmatæ, & præsertim Decretorum Innocentii IX. & Clementis VIII. similiter Prædecessorum Nostrorum reversi, & reversa, devoluti, & devoluta existant (de quo gratias agimus Omnipotenti Deo) & utile eorum Dominium cum directo consolidatum sit, & absque alia ulteriori acceptatione, declaratione, & possessionis apprehensione, & alia juxta prædictam Constitutionem Pii Quinti, & decretorum Innocentii Noni, & Clementis Octavi, ad quam, & ad quæ in omnibus, & per omnia, & in omnibus ejus, & eorum partibus relatio habeatur, atque etiam in executionem transactionis, seu concordiæ inter Nos, & Cameram Apostolicam ex una, & dictum quondam Franciscum Mariam, & Victoriam ejus Neptem ex filio, & Ferdinandum Medicem Magnum Ducem nominibus, de quibus in dicta Transactione ex altera partibus initæ sub die 30. Aprilis millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, & in Consistorio secreto lectæ, & à Sacro Collegio approbatæ; nihilominus Nos pro potiori cautela, & jura juribus addendo, & dictæ Constitutioni, & Decretis inhærendo, salva dicta Transactione, & excepto Castro Podii Hibernii, juxta tenorem dictæ Transactionis, & in ejusdem executionem denuo dictam devolutionem, & reversionem præfati Status acceptando, possessiones per Thadæum Nostrum ex Fratre Germano Nepotem, & per alios Nostra auctoritate, & Nostro,

& Ca-

& Cameræ Apostolicæ nomine captas approbamus, recipimus, & gratas, & ratas habemus, necnon juramentum à subditis, receptiones, & alios quoscunque actus, qui sequuti sunt, Nobis, & Cameræ Apostolicæ favorabiles, & omnes solemnitates, si quæ forsan defuerint, omnesque defectus, qui similiter forsan interfuerint, supplentes, atque de vestro consilio pariter, & assensu Ducatum, Statumque prædictum cum omnibus supradictis Civitatibus, Terris, Castris, Fortalitiis, Locis, Membris, Jurisdictionibus, & aliis annexis, & connexis dicti Ducatus, & omnibus etiam aliis Locis, Membris, & Jurisdictionibus, & eorum annexis quocunque alio modo, seu vocabulo sub Investitura, seu Investituris, vel aliis concessionibus quibuscunque prædicta, & prædictis comprehensis, aut aliter quomodocunque à dicto Francisco Maria tensis, & possessis, sive aliàs quomodolibet ad Sedem Apostolicam pertinentibus per obitum prædicti Ducis Francisci Mariæ, seu aliàs ad hanc Sedem devolutum, & devoluta, & utile illorum Dominium cum directo consolidatum esse declaramus, & ejusmodi reversionem, devolutionem, & utilis cum directo Dominio consolidationem acceptamus, ipsumque Ducatum, & Statum cum omnibus supradictis Sedi, & Cameræ Apostolicæ reversum, unitum, & incorporatum esse, & censeri decernimus, & declaramus non solùm præmisso, sed omni etiam meliori modo, & quatenus opus sit, eundem Ducatum, & Statum cum aliis Civitatibus, Ca-

stris,

ſtris, & omnibus Juriſdictionibus ſupradictis de novò eidem Sedi Apoſtolicæ unimus, & incorporamus, ac diſpoſitioni Conſtitutionis prædictæ felicis recordationis Pii V. & Decretorum Innocentii, & Clementis ſubjacuiſſe, & ſubjacere decernimus, & declaramus, Deoque Omnipotenti, Beatæque Mariæ ſemper Virgini, ac Sanctis Apoſtolis Petro, & Paulo perpetuò tribuimus, & dicamus. In nomine Patris, &c.

ALEXANDER VII.

Feria secunda die 20. Decembris 1660. Romæ in Palatio Montis Quirinalis fuit Consistorium secretum, in quo

Sanctissimus Dominus Noster Venerabiles Fratres Suos S.R.E. Cardinales amantissimis nominibus de more appellatos, primò hortatus est ad opera pietatis, eo maximè tempore exhibenda, quo copiosa facta est apud Deum Redemptio, & mox in hanc Sententiam est allocutus:

PRobè eos nosse Odoardum Farnesium Parmæ Ducem gravi ære alieno Creditoribus Montis Farnesii obstrictum, sæpius à felicis recordationis Urbano Octavo paternè monitum, cùmque monita nihil proficerent; opportunis Juris remediis conventum fuisse, ut eisdem Creditoribus, qui Sedis Apostolicæ fidem secuti fuerant satisfaceret; verùm pro eo, ut tam justæ petitioni obtemperaret, cum armato repente Milite

in Ditionem Ecclesiasticam impetum fecisse; unde maximæ rerum perturbationes, gravissima scandala, & innumera, tum Sedis Apostolicæ Subditorum, tum publici ærarii incommoda sunt consecuta.

Odoardo verò, ut Deo placuit, è vivis sublato, recolendæ memoriæ Innocentium Decimum Pupillorum, Viduarum, piorumque Locorum, quorum sustentatio ex pecunia Monti Farnesio credita pendebat, frequentibus lacrymis, & querelis permotum, mandasse Congregationi Baronum, ut iis, cœterisque Creditoribus justitiam pro suo munere administraret.

Quamobrem prædictam Congregationem servatis servandis processisse ad venditionem aliquot Castrorum, & Locorum ejusdem Ducis, Roncilionis scilicet, Valerani, Canepenæ, ac Vici cum Lacu, & Casamala, cum connexis, annexis, & pertinentiis, aliisque bonis, eaque nemine licitante, ipsimet recolendæ memoriæ Innocentio, & Cameræ Apostolicæ, juxta formam in erectione dictæ Congregationis Baronum à recolendæ memoriæ Clemente Octavo præscriptam, deliberasse, reservata facultate, ea infra triennium redimendi, & prout latiùs habetur in Actis Bartholomæi Brunori Notarii A.C. die septima Octobris 1649.

Cùm verò contra alia Loca, Terras, & Ducatum Castri cum ei annexis, & aliis bonis, tam Jurisdictionalibus, quàm non Jurisdictionalibus ejusdem

dem Ducis in erectione Montis Farnesii adscriptis; affectis, & hypothecatis judicium, & executionem prosequi vellet eundem Innocentium Decimum precibus Raynutii tunc, & in præsens Parmæ Ducis, dicti Odoardi Filii, & Successoris nomine porrectis, annuere, & dictorum Creditorum commodis, ac securitati magis, quàm Cameræ Apostolicæ (cui grave, damnosumque futurum id erat) utilitati consulere volentem, Ducatum, & cætera Bona prædicta (illis quoque comprehensis, quæ deliberata jam fuerant) emisse sibi, & Cameræ Apostolicæ, tam ab ipso Duce, quàm à Reverendissimo Thesaurario ejusdem Cameræ, cum facultatibus Congregationis Baronum, & aliis ipsi concessis (cujus Congregationis Constitutionibus, Bullis, & Privilegiis dictum Contractum subjectum, & comprehensum esse voluit, licèt earum forma servata non fuisset) pretio, & pactis conventis in instrumento celebrato die decimanona Decembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono per Acta Francisci Lucarelli Cameræ Apostolicæ, & Caroli Viperæ Capitolii Notariorum, in quo instrumento specialiter reservatum fuit dicto Duci Raynutio, ejusque Successoribus in Ducatu, & non aliis, nec alio modo, jus redimendi dictum Ducatum Castri, & Statum Roncilionis, & cætera Bona, ac Loca vendita infra terminum octo annorum, persolutis tamen actu, & unica solutione Cameræ Apostolicæ

in Depositaria generali decies, & sexies centenis, & viginti novem millibus septingentis quinquaginta Scutis monetæ Romanæ, ita ut, eo termino elapso, & solutione, & redemptione non factis, incontinenti, & in eodem instanti, ipso Jure, atque ipso facto, absque alia declaratione, idem jus, & facultas redimendi censerentur expirasse, illisque dictus Dux ulteriùs uti non valeret ex ullo capite, etiam purgationis moræ, & restitutionis in integrum, ex quacunque causa, sed dicta Venditio censeretur, & esset libera, pura, & perpetua, perinde ac si dictum Jus nunquam fuisset reservatum cum ampla dicti Juris, & pacti renunciatione, & cassatione.

Hanc rei seriem cùm Sanctitas Sua commemorasset, adjecit, elapsum jam fuisse, non solùm terminum octo annorum ad redimendum Ducatum, Oppida, Loca, & Bona supra memorata in dicto Instrumento præfixum, die scilicet decima nona Decembris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi septimi, verùm etiam alium terminum, die scilicet decima nona Decembris præsentis anni millesimi sexcentesimi sexagesimi, quo triennio durante à die Venditionis computando, cùm prædictus Clemens Octavus in Constitutione erectionis Congregationis Baronum septimo Kalendas Julii millesimo quingentesimo nonagesimo sexto, Pontificatus Sui quinto, declaraverit hujusmodi bo-

na

na Jurisdictionalia, vigore ejusdem Constitutionis empta, comprehendi non debere in alia præcedenti Pii Quinti recolendæ memoriæ de non alienando, & infeudando Civitates, & Loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ edita quarto Kalendas Aprilis anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, ejus Pontificatus anno secundo, consequens propterea esse, ut Ducatus, Oppida, Castra, & Bona prædicta unita, & incorporata omnino sint Sedi, & Cameræ Apostolicæ.

Se nihilominus, ut uberiùs, certiùsque ejusdem Sedis, & Cameræ Juribus, & indemnitati pro sui Pastoralis Officii munere consulat, atque Prædecessorum suorum providentiam, & exempla sequatur, ad omnem meliorem finem, & effectum pro potiori cautela Sanctæ Sedis, & Cameræ prædictæ, Jura Juribus addendo eidem Sedi, & Cameræ Apostolicæ unire, & incorporare in præsenti Consistorio statuisse, Ducatum Castri, Statum Roncilionis, ac cætera Castra, & Loca, & cætera Bona prædicta, ac in prædictis Instrumentis Brunori, Lucarelli, & Viperæ comprehensa, illaque prædictæ Constitutioni recolendæ memoriæ Pii Quinti editæ quarto Kalendas Aprilis anni millesimi quingentesimi sexagesimi septimi subjicere, & in ea comprehendere, & unita, incorporata, subjecta, & comprehensa decernere, ac declarare, auditis priùs Sententiis eorundem Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium.

Qui

Qui cùm voce, vel nutu Sanctitatis Suæ consilium collaudassent, & assensissent, Sanctitas Sua eisdem præsentibus decrevit, & declaravit, ut infra videlicet:

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac nostra pro potiori cautela, & jura juribus addendo, Sanctæ Sedi, & Cameræ Apostolicæ unimus, & incorporamus Ducatum Castri, & Statum Roncilionis, cum cæteris Locis, Terris, Castris, Oppidis, & bonis comprehensis in prædictis instrumentis venditionis rogatis per acta Bartholomæi Brunori die septima Octobris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, & Francisci Lucarelli Notarii Apostolicæ Cameræ, & Caroli Viperæ Notarii Capitolini anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono, decima nona Decembris, eaque Constitutioni recolendæ memoriæ Pii Quinti editæ quarto Kalendas Aprilis anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo subjicimus, ac in ea comprehendi volumus, & unita, incorporata, atque subjecta, & comprehensa decernimus, & declaramus omni meliori modo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Actum prædictis die, & anno.

His per actum separatum absolutis, & transactis, dixit ea occasione velle se à Prædecessoribus suis providè, sapienterque instituta, quo pluribus vinculis, & munimentis colligentur, insistantque sua quoque auctoritate roborare, ac etiam extendere, præ-

præsertim verò Pii Quinti Bullam supramemoratam, ne de illius germano sensu contingat imposterum dubitari.

Ac primò quidem velle, se illam confirmare, & approbare, eique subjicere, vel potiùs subjecta declarare, Castra, Oppida, Civitates, Ducatus, Principatus, Dominia, Terras, & Loca à Sancta Sede immediatè possessa non aliàs infeudata, & etiam infeudari solita, verùm etiam, si nunquam antea fuerint infeudata.

Secundò similia imposterum non solùm devolutionis, sed quovis alio titulo acquirenda, declarando etiam duas Constitutiones in materia confiscationum editas à sanctæ memoriæ Gregorio Decimotertio, quarto Idus Junii millesimo quingentesimo octuagesimo, & à Sixto Quinto Kalendas Julii, quod hujusmodi Loca, & Bona earundem Constitutionum vigore confiscata, non comprehendantur sub præfata Pii Quinti, durantibus tamen Investituris, & salvis pactis in eis contentis.

Tertiò, quod expleto triennio suspensionis indultæ à Clemente Octavo in memorata ejus Constitutione, statim ipso Jure, & ipso facto bona Jurisdictionalia ejus vigore Cameræ Apostolicæ empta, censeantur incorporata, & subjecta prædictæ Bullæ Pii Quinti.

Quartò, quod hujusmodi sua Constitutio cum prædictis declarationibus, & alia præcedenti Cle-

mentis

mentis Octavi; seu sanctæ memoriæ Innocentii Noni edita pridie nonas Novembris anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi, ejus Pontificatus primo; cum ejusdem Clementis Decreto Consistoriali facto die vigesima sexta Junii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, & cum expressione acquisitionum hactenus factarum post ipsam Pii Quinti Bullam à Successoribus Sanctitatis Suæ, sicut ipsamet faciet, & à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus nunc viventibus, & pro tempore futuris, juramento firmetur, ut ab eodem Pio Quinto in dicta Constitutione sancitum, & ad hanc diem servatum fuit. Id autem animi sui consilium aperire ipsis, & proponere voluisse, ut eorum unusquisque re attentè, diligenterque perpensa suffragium ea de re suum quamprimum afferat, sive coram, sive ex scripto, quo Sanctitas Sua, quod magis in Domino conduxerit, decernere, atque exequi posset.

Ipsa Pontificis verba.

VENERABILES FRATRES.

JUcunda nobis, vobisque appellatio, ut fraterno nobiscum, & filiali erga Sanctam Sedem affectu, ac zelo præditos vos videamus; atque ad pietatis opera hortemur diebus hisce Sanctis, quibus apud Dominum copiosa facta est Redemptio, ne illa nostra culpa, aut

iners,

iners, aut manca evadat. Communicabimus vobiscum aliqua, quæ ut certiora sint, legemus ex scripto. Probè nostis Odoardum olim Parmæ Ducem gravi ære alieno Creditoribus Montis, Farnesii nuncupati, obstrictum, postquam sæpe felicis recordationis Urbani Papæ Octavi Prædecessoris nostri hortatu, ac jussu monitus fuisset, ut iis satisfaceret, atque ad id opportunis tandem Justitiæ mediis conventum, repentè armato Milite Statum Ecclesiasticum esse aggressum; Unde perturbationes, & gravissima scandala, ac damna tum Apostolicæ Sedi subditis, tum publico ærario provenerunt, Odoardo verò, ut Domino placuit, ab humanis evocato, recolendæ memoriæ Innocentium Decimum Prædecessorem nostrum eorundem Creditorum Pupillorum, Viduarum, piorumque Locorum lacrymis, & querelis frequentibus motum, jussisse per Congregationem Baronum illis justitiam ministrari. Quæ servatis servandis ad venditionem aliquorum Castrorum, ac Locorum præfati Ducis, Roncilionis scilicet, Valerani, Canepinæ, ac Vici cum Lacu, & Casamala, aliisque annexis processit, atque ea, deficientibus aliis oblatoribus, eidem recolendæ memoriæ Innocentio, & Cameræ Apostolicæ deliberavit, reservata facultate ea redimendi ad triennium, prout est ex Actis Bartholomæi Brunori, die septima Octobris anni millesimi sexcentesimi quadragesimi noni. Cùm verò alia Loca, Terras, & Ducatum Castri cum ei annexis tam Jurisdictionalibus, quàm non Jurisdictionalibus ejusdem Ducis in erectionibus dictorum Montium adscriptis, affectis, atque

hypothecatis, judicium, executionemque prosequi intendebat. Idem Prædecessor noster Innocentius X. precibus dilecti Filii Raynutii moderni Parmæ Ducis, Filii, ac Successoris dicti Odoardi, nomine porrectis, annuere, ac dictorum Creditorum commodo, Statusque tranquillitati magis, quàm ipsius Cameræ Apostolicæ utilitati consulere volens, cùm ipsi potiùs esset grave, & damnosum, assensit Ducatum prædictum cum cæteris omnibus bonis præfatis (illis quoque comprehensis, quæ fuerant anteà ut diximus deliberata) emere sibi, & Cameræ Apostolicæ, tam ab ipso Duce, quàm à Reverendissimo Thesaurario ejusdem Cameræ Apostolicæ cum facultatibus Congregationis Baronum, & aliis ipsi concessis, quibus ejusdem Congregationis Constitutionibus, Bullis, & Privilegiis dictum Contractum subjectum, & comprehensum esse voluit, pretio, & pactis conventis in Instrumento celebrato die 19. *Decembris* 1649. *per Acta Francisci Lucarelli Cameræ Apostolicæ, & Caroli Viperæ Capitolii Notariorum. In quo Instrumento specialiter reservatum fuit dicto Duci Raynutio, ejusque Successoribus in Ducatu, & non aliis, nec alio modo Jus redimendi dictum Ducatum Castri, & Statum Roncilionis, ac cætera Bona, & Loca vendita infra terminum octo annorum, persolutis tamen actu, & unica vice Cameræ Apostolicæ in Depositaria generali scutis decies, & sexies centenis, & viginti novem millibus septingentis quinquaginta monetæ Romanæ, eoque termino elapso, & solutione, ac redemptione non factis incontinenti, & in eodem instanti ipso Jure, ac ipso facto,*

& absque

& absque alia declaratione, idem Jus, & facultas redimendi censeantur expirasse, illisque dictus Dux ulteriùs uti non valeat quavis ratione, etiam purgationis moræ, & restitutionis in integrum ex quacunque causa, sed dicta Venditio censeatur, & sit libera, pura, & perpetua, proinde ac si dictum Jus nunquam fuisset reservatum cum ampla dicti Juris, & pacti renunciatione, & cassatione. Cùm igitur terminus octo annorum ad redimendum Ducatum, Loca, & Bona prædicta expletus fuerit sub die 19. Decembris 1657. & præterea transierint alii tres anni die 19. hesterna præsentis mensis, quibus à die Venditionis computandis durantibus felic. record. Clemens VIII. Prædecessor noster in Constitutione edita pro instituenda Congregatione Baronum Status Ecclesiastici 7. Kal. Julii anni 1596. ejus Pontificatus quinto, declaravit hujusmodi bona Jurisdictionalia in vim ejusdem Constitutionis empta comprehendi non debere in alia præcedenti Pii V. recol. mem. edita 4. Kal. Aprilis 1567. ejus Pontificatus anno secundo, ac proinde remaneant omnino unita, & incorporata Sedi, & Cameræ Apostolicæ. Nihilominus nos volentes (prout ex debito Officii nostri tenemur) ejusdem Sedis, & Cameræ Apostolicæ Juribus, & indemnitati consulere, ac Prædecessorum etiam nostrorum proinde instituta, & exempla in hac materia sequentes ad omnem meliorem finem, & effectum pro potiori cautela Sanctæ Sedis, & Jura Juribus addendo, eidem Sedi, & Cameræ Apostolicæ unire, & incorporare intendimus Ducatum Castri, Statum Roncilionis, ac cætera Castra, Loca, & Bona prædicta in prædictis Instrumentis Brunori, Luca-

relli, & Viperæ celebratis comprehensa, eaque dictæ Constitutioni recolendæ memoriæ Pii V. editæ 4. Kalendas Aprilis anni 1567. subjicere, & comprehendere, & unita, incorporata, atque subjecta, comprehensa decernere, & declarare volumus, idque summopere cupimus unanimi vestrum omnium assensu, de quorum probitate, ac debito erga hanc Sanctam Sedem zelo non solùm minimè dubitamus, verùm etiam quàm maximè in Domino confidimus. Quid vobis videtur?

Hìc omnes Cardinales, aut voce, aut nutu approbarunt.

Auctoritate Omnipotentis Dei Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac nostra pro potiori cautela, & Jura Juribus addendo Sanctæ Sedi, & Cameræ Apostolicæ unimus, & incorporamus Ducatum Castri, & Statum Roncilionis cum eorum Locis in Instrumento emptionis comprehensis, eaque Constitutioni recolendæ memoriæ Pii V. edita quarto Kalendas Aprilis anno millesimo quinquagesimo sexagesimo septimo, subjicimus, ac in ea comprehendi volumus, & unita, & incorporata, atque subjecta, & comprehensa decernimus, & declaramus omni meliori modo. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Occasione ista, ut quæ à Prædecessoribus nostris providè instituta sunt stabiliùs perseverent, ea nostra quoque auctoritate roborare intendimus, & inter hæc præsertim confirmare Pii V. Bullam, ne de ea contingat ampliùs dubitare.

Pri-

Primò exprimere Civitates, & Castra à Sancta Sede immediatè possessa, etiam si nunquam fuerint infeudata.

Secundò, similia imposterum quovis titulo acquirendo.

Tertiò, quod expirante triennio suspensionis Indultæ à Clemente VIII. statim ipso jure, & facto censeantur incorporata Bullæ Pii V.

Quartò, quod prædicta nostra Constitutio cum declarationibus indicatis, & cum expressione acquisitionum hactenus factarum post ipsum Pii V. Bullam à nobis, & à Successoribus nostris, & à Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus juramento firmentur, prout à Pio V. recolendæ memoriæ sancitum, atque in ea servatum fuit. Hanc igitur animi nostri sententiam, quæ salvis omnibus Pontificiis Constitutionibus procedit, vobis ideo proponimus, ut ea maturè considerata, afferentibusque vestra suffragia sive coram, sive scripto. Nos divino juvante auxilio, quod conducibilius in Domino fuerit decernere valeamus.

Quæ in Consistorio hoc agimus sub silentio esse servanda non est, quod in memoriam redigamus. Vestra verò suffragia pro confirmatione Bullæ Pii V. optamus habere intrà hanc septimanam.

Feria

FEria 2. die 24. Januarii 1661. Romæ in Palatio Montis Quirinalis fuit Consistorium secretum, in quo Sanctissimus Dominus Noster post aliquot propositiones Ecclesiarum, & alia nonnulla in hunc ferè sensum est locutus. Decubuisse se ab ultimo Consistorio per mensẽ ægrum pedibus, sed capite (Deo foret laus) ita sano, & valente, ut meditari, deliberare, consulere, & conceptum Bullæ, quam proposuerat, pro confirmanda, & explicanda altera recolendæ memoriæ Pii V. super bonis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ non alienandis perficere, & absolvere potuerit, subjungens se æqui, bonique consuluisse ea, quæ non pauci Patrum prælecto ejusdem Bullæ conceptu annotaverant, nunc se Deo dante eandem Bullam Sacramento firmare, & subscribere decrevisse.

Post lectam Bullam à D.Stephano Ugolino Secretario Brevium, & Utriusque Signaturæ Referendario à prima usque ad ultimam lineam Sanctissimus Dominus Noster stans aperto capite juravit, & tangens ambabus manibus librum Evangeliorum eundem est deosculatus, dicens: *Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia*: ac sedens tecto capite duobus Cæremoniarum Magistris abacum admonentibus subscripsit.

Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.

Tunc primus Cæremoniarum Magister attulit librum Evangeliorum, quem unusquisque eorum tangens

gens ambabus manibus osculatus est ordine suo dicens:

Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Interim in fine Bullæ unusquisque subscripsit manu sua:

Ego N. N. Card. N. promitto, voveo, & juro.

His peractis Pontifex surgens, & descendens è Solio, dimissa Stola, accedentibus Cardinalibus, Paternam Benedictionem impertitus, familiariter dixit: *Quod felix, faustumque sit ad Sanctæ Sedis, ejusque Bonorum conservationem, gaudens unanimi sensu peractum hoc opus, certi, quod nemo vestrum tremula manu, sed firma, & valida omnes hilariter in Domino subscripserint.* Demum recessit hora 19. & quarta parte vigesimæ postquam ingressus fuisset Consistorium hora 16.

FINIS.

INDEX.

FINIS.

